39324/S

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

EXHIBENS

SECTAE PNEVMATICORVM MEDICORVM HISTORIAM

QVAM

CONSENTIENTE

GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

IN STVDIORVM VNIVERSITATE

ALTORFINA

PRO CONSEQVENDA

DOCTORIS MEDICI DIGNITATE

PVBLICE DEFENDE

IOANNES CAROLVS OSTERHAVSEN

NORIMBERGENSIS.

DIE XXIII. MAII MDCCLXXXXI.

ALTORFII

TYPIS IOANNIS PAVLLI MEYERI

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1791

Intra
Spem ueniae cautus.

HORATIVS.

INCLITAE

SACRI ROMANI IMPERII

LIBERAE REIPVBLICAE

NORIMBERGENSIS

SENATVI

SPLENDIDISSIMO

PERILLVSTRIBVS AC GENEROSISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

DVVMVIRIS

TRIVMVIRIS

SEPTEMVIRIS

CONSVLIBVS

SENATORIBVS

PATRIBVS PATRIAE

OPTIMIS

MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS

INDVLGENTISSIMIS

OMNIVM RERVM MODERATORIS

IN GVBERNANDA REPVBLICA AVXILIVM

FORTVNATISSIMOS CONSILIORVM

SVCCESSVS

AMPLISSIMVM VITAE SPATIVM

PERPETVVM FAMILIARVM ILLVSTRIVM

FLOREM

OMNIAQVE FELICITATIS GENERA

PIO ANIMO PRECATVS

HOC QVALECVNQVE SPECIMEN INAVGVRALE

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA

SACRVM ESSE CVPIT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVENTISSIMVS

AVCTOR.

PRAEFAMEN.

Poſt HIPPOCRATIS, diui ſenis, tempora, qui primus medicinam in artis formam redegit, experientiam cum ratione coniunxit, cuius ſcripta, diurna nocturnaque manu uerſanda, ad hodiernum usque diem medicis normam praebent, quali modo obſeruationes in aegrotantibus ſint inſtituendae, quem, ſi quidam, pauci medicorum adſequuti ſunt, ſuperauit nullus, medicina in duas ſectas eſt diducta, medicorum Empiricorum et Dogmaticorum. Qui rationalem medicinam profitebantur, notitiam cauſarum abditarum, euidentium ac actionum naturalium commendabant, anatomes ſtudio operam dabant et experientiam et uſum, ratione ne-

 glecta,

gleƈta, mancum et inſufficientem eſſe, affirmabant. Empirici contra euidentes tantum morborum cauſas, ut neceſſarias amplexi, contemplatione omni poſthabita, ſubtilioribusque inueſtigationibus contemtis, uſum tantum et experientiam ad artem ualere ſtatuerunt. His ſeƈtis, quarum utraque HIPPOCRATIS ueſtigia ſe premere, illumque eſſe ſuum conditorem adſerebat, acceſſit tertia, Methodica, autoribus ASCLEPIADE eiusdemque diſcipulo THEMISONE, quae abditas cauſas parui faciens, communia tantum morborum intuebatur, eorumque tria genera, unum adſtriƈtum, alterum laxum, tertium mixtum eſſe, affirmabat. Hae ſeƈtae primas inter medicos priſcos partes tenebant, magnumque nomen ſunt adeptae. NERONIS tandem ſeu VESPASIANI Imperatorum temporibus alia ſeƈta, eaque non ignobilis, (quae uero uix diu floruit) minus a Dogmaticorum placitis, quam ab Empiricorum recedens, rationem quippe et philoſophiam in arte adhibens, ortum duxit, medicorum nimirum Pneumaticorum, de cuius

cuius origine, fatis, doctrinis, conditoribus fautoribusque hic diſſerere, mihi propoſui, qua in re Praeceptorem optimum Fautoremque, quem ad cineres usque, ceu patrem filius, pia mente, colo, Ill. ACKERMANNVM habui autorem, qui conſiliis ac libris benigniſſime me adiuuit, ob quod aliaque magna, in me collata beneficia, publice gratiſſimi erga Tantum Virum animi teſſeram hic depono:

Si ſpiro et placeo, quod placeo Tuum erit haud meum.

Non riuulos ſed fontes, ad hiſtoriam huius ſectae deſcribendam adiui, et ex ipſis hauſi, de quibus lectoribus rationem reddam. GALENVS, omnia quae ad ſua usque tempora, non in medicina tantum, ſed fere in pluribus aliis ſcientiis cognitu digna erant, complectens, primus de Pneumatica ſecta et doctrinis Pneumaticorum medicorum nos fecit certiores. Omnibus itaque, quae reliquit ſcripta, et quae ei adſcribuntur, (non enim, poſt tantam, qua per tot ſaecula floruit auctoritatem, hodie adhuc plane certum eſt, quos ſcripſerit

libros, quosque alii ſuis operibus apposue-rint) attente ac diligenter perlectis, paſſim in iis, quae ad ſectam Pneumaticorum pertinent, diſperſa collegi et in ordinem quendam redegi. GALENVS ipſe quidem, in addiſcendis Pneumaticorum medicorum doctrinis, Pneumatico medico praeceptore uſus eſt [a]), bene uero perſpiciens ſectas tantum commoditati ac pigritiae fauere, litterarum autem progreſſibus eſſe impedimento, nulli ſectae amicus erat [b]): eamque ob cauſam nec aliorum, nec Pneumaticorum medicorum numero ſeſe inſeruit, etſi uiros huius ſectae ſemper fere non ſine magna laude memoret, et optimis probatiſſimisque ſui aeui medicis adnumeret. Non quidem ſilentio eſſe praetereundum exiſtimo, illum ualde quoque eos nonnunquam uituperaſſe, et obſcuras abſurdasque eorum ſententias, publico in ſuis operibus ueluti riſui expoſuiſſe, cuique rei pulſuum ac

a) *Galen.* Lib. I. de Element. cap. VIII. ed. Chart. T. III. pag. 16.

b) *Galen.* Lib. III. de loc. affect. ed. Chart. T. VIII. pag. 426. et *Eiusd.* Lib. de dignoſcend. ac curand. animi morb. cap. VIII.

ac dolorum doctrina, e mente Pneumaticorum, quam in hoc opere meo propoſui, exemplum praebet. Sed uix ubique acriter in eos animaduertit GALENVS, ut illos in libris ſuis taxatos interdum, ſubinde non ſine aliqua laudis particula citatos, ſaepiſſime laudatos maxime inuenias, eumque de iis cogitaſſe credas, quae HORATIVS expreſſit:

ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.

Medicorum quoque, qui poſt GALENVM uixerunt, libros diligenter euolui ac conſului, ORIBASIVM nimirum, NEMESIVM, CAELIVM AVRELIANVM, AETIVM, ALEXANDRVM TRALLIANVM, PAVLVM AEGINETAM, NICOLAVM MYREPSVM, et IOANNEM ZACHARIAE filium ſeu ACTVARIVM, qui omnes quaedam fragmenta ex Pneumaticae ſectae addictorum medicorum ſcriptis, ſed ad doctrinas ipſius ſectae illuſtrandas parum facientia, ſeruarunt. Scriptores, qui nec ſectam, nec ui-

ros illi addictos memorarunt, quorumque libros fruſtra perquiſiui, ſunt: CORNELIVS CELSVS, SCRIBONIVS LARGVS, RVFVS EPHESIVS, EROTIANVS, PLINIVS, QVINTVS SERENVS SAMONICVS, MARCELLVS EMPIRICVS, THEOPHILVS ac DEMETRIVS.

Libris horum uirorum perlectis, omnibusque in iis, ad ſectam Pneumaticorum pertinentibus, collectis, ad hiſtoriam huius ipſius ſectae deſcribendam me accinxi. Nullum recentiorum de ea litteris mandantem, conſului, ne praeoccupatus munere fungerer; ſed, labore iam peracto, demum eorum ſcripta euolui et hoc modo facile intellexi, quae falſa, quae vera dixiſſent et non pauca ad illa, uix multa uero ad haec pertinere, non ſine dolore quodam perſpexi. Viri autem eruditiſſimi OTTO BRVNNFELS [c]), PASCHALIS GALLVS [d]), PETRVS CASTELLANVS [e]), HER-

c) Catalogus illuſtrium medicorum ſiue de primis medicinae ſcriptoribus. Argent. 1530. pag. 24. et 35.

d) Bibliotheca medica, Baſil. 1590. pag. 8. 33. 38. 126. 285.

e) Vitae Illuſtrium Medicorum, qui toto orbe ad haec usque tempora floruerunt. Antvverp. 1618. pag. 96. 102. 128.

HERMANNVS CONRING f), DANIEL CLERICVS g), IO. CONR. BARCHVSEN h), IO. WIGAN i), IO. HENR. SCHVLZE k), G. STOLLE l), CHRIST. GVIL. KESTNER m), G. MATHIAE n), ALB. DE HALLER o), de ſecta Pneumaticorum eiusque aſſeclis in libris ſuis mentionem fecerunt. Sed, ſaepe me tantis uiris non potuiſſe adſentiri, declaro fideliter atque publice, quippe non ſemper *ἀκϱίβειαν* fidemque hiſtoricam in ea ſecta

f) Introductio in uniuerſam artem medicam. Hal. 1716. pag. 18.

g) Hiſtoire de la Medicine. Amſtel. 1723. II. P. Liv. IV. Sect. II. cap. II. pag. 504—507.

h) Hiſtoria Medicinae. Amſtel. 1710. pag. 266—282.

i) De ARETAEI Secta, editioni ſuae ARETAEI Oxon. 1723. praefixa, pag. XVIII—XXII.

k) Compendium Hiſtoriae medicinae. Hal. 1741. pag. 330—338. et pag. 353—355.

l) *Anleitung zur Hiſtorie der mediciniſchen Gelahrheit in dreien Theilen. Jen.* 1771. pag. 61—64. et 527.

m) *Mediciniſches Gelehrten-Lexicon. Jen.* 1720. pag. 12. 49. 59. 396. 473. 841. et *Kurzer Begriff der Hiſtorie der mediciniſchen Gelahrheit. Halle* 1743. pag. 203. 204. 214.

n) Conſpectus Hiſtoriae Medicorum chronologicus. Goetting. 1761. pag. 15.

o) Bibliotheca Medicinae practicae. P. I. pag. 190. 192.

ſecta deſcribenda, meo quidem iudicio, ſecutis: u. g. de uocis πνεῦμα ſignificatione omnes fere haeſiſſe mihi uidentur, et aërem cum ſpiritu Stoicorum ſaepe permutaſſe, quod CLERICVS quoque, optimus caeteroquin ſcriptor, in pulſu ad Pneumaticorum mentem definiendo manifeſte fecit p). Spiritus enim in arteriis contentus, non illa animae mundi particula, nobis innata, ſed aër eſt, quem in his uaſis adeſſe, caeteri quoque medici affirmabant: πνεῦμα quoque, quod in ARETAEI ſcriptis occurrit, aër tantum eſt, quod Sect. III. paragraph. I. demonſtrauimus. Nec dogmata Pneumaticorum ullus horum ſcriptorum bene expoſuit, niſi forte IO. CONR. BARCHVSEN excepto, cuius in dogmatum

p) Hiſt. de la Medicine P. II. Liv. IV. Sect. I. cap. II. p. 505. On peut ſeulement recueillir de la definition qu'il donnoit (*Athenée*) du *pouls*, qu'il croyoit que cet eſprit fût une ſubſtance qui pouvoit être plus, ou moins étenduë, ou reſſerrée. *Le pouls*, diſoit-il, *n'eſt autre choſe qu'un mouvement, qui ſe fait par la dilatation naturelle, et involontaire de* l'eſprit, *qui eſt dans les arteres, et dans le coeur; lequel eſprit, ſe mouvant de lui-même, meut en même tems le coeur et les arteres.*

tum medicorum ueterum exponendis merita minus iuſto cognita uidentur. Dolendum quidem eſt, quod uir optimus ea, quae e ſcriptis ueterum medicorum paſſim collegit, non in ordinem quendam redegit ac elaborauit.

Neminem, ſi WIGANI tractationem editioni ARETAEI, quae ipſo autore proprodiit Oxoniae MDCCXXIII., praefixam uelis excipere, adhuc ſcio, ſingulari libro hiſtoriam huius Sectae ſcripſiſſe. Hoc igitur qualicunque ſpecimine, quantum in ea elaboranda poſſem proficere, uolui experiri, et primo de conditore ſectae eiusque aſſeclis mentionem feci, deinde doctrinas, ab illis prolatas, enarraui, et tertio ſcripta, quae ſecundum nonnullorum mentem, ſententias Pneumaticis medicis proprias continere creduntur, recenſui et cenſuram meam qualemcunque de iis exhibui. Studium hiſtoriae medicinae ſemper mihi curae cordique fuit, et me primitias laboris, quem non inuitus ſuſcepi, ſed lubentiſſimus et cum uoluptate quadam, nunc proferre

ferre poſſe laetor. Annue conanti, Lector beneuole!

Deque meo pauidos excute corde metus.
Da mihi Te placidum; dederis in carmina uires.
Ingenium nutu ſtatque caditque Tuo.

SECTIO PRIMA.

DE ORIGINE ET FATIS SECTAE PNEVMATICORVM HISTORIA LITTERARIA.

§. I.

CONDITOR SECTAE ATHENAEVS.

Sectae Pneumaticorum conditor ATHENAEVS[a]), uir ſummis ſui aeui medicis ualde probatus, patriam Attaliam[b]) Ciliciae urbem habuit; CAEL. AVRELIA-

a) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XIV. ed. Chart. P. VIII. pag. 100. et aliis locis.

Hic ſilentio non praetereundem eſſe puto, optimum AEGID. MENAGIVM errorem commiſiſſe, qui in Obſeruationibus ad DIOGENEM LAERTIVM de uitis philoſophorum Lib. V. Ariſtip. Segm. 104. pag. 118. haec habet: *Athenaeus medicus fuit Attaleus hoc eſt Attali ſectator.* Non opus eſſe exiſtimo hanc ſententiam multis refutare, quum tantum uirum hic erraſſe, facile intelligent, qui GALENI libros euoluere uelint, ubi ſemper Ἀτταλέως nominatur, ab Attalia nempe urbe, ex qua natus eſt.

b) *Galen.* Lib. I. de dignoſcend. pulſib. Cap. III. ed. Chart. P. VIII. p. 110.

RELIANVS [c]) Tarſenſem uocat, ab urbe Tarſo, in eadem regione ſita. De tempore, quo uixerit, ſuamque ſectam condiderit, omnes, qui de eo mentionem fecerunt, ſcriptores ſilent, quod ideo probabili coniectura eruendum eſt. Et primum quidem notandum eſt, COR. CELSVM atque PLINIVM, qui quae in medicina acciderunt notabilia, poſteris tradiderunt, idque eo ſtudioſius, quo magis euentus in medicina aut ſuis aut proximis ipſis temporibus euenirent, ATHENAEVM non memoraſſe, GALENVM uero primum fuiſſe, qui de eo et de ſecta ab eo condita, mentionem fecerit. Temporis, quod inter CORN. CELSVM et GALENVM eſt, interuallo, et quidem imperante NERONE ſeu VESPASIANO eum uixiſſe atque claruiſſe PLINIOque fuiſſe coaeuum, ſuſpicari licet. Ad quam opinionem, quam etiam IO. WIGAN [d]) et DAN. CLERICVS [e]) fouent, confirmandam, id facit, quod ARCHIGENES uſus doctore AGATHINO, ATHENAEI, niſi omnia me fallunt, diſcipulo, teſte SVIDA [f]), TRAIANO Imperatore claruit atque artem medi-

c) Lib. II. Acutor. Morbor. Cap. VII. ed. IO. CONR. AMANNI. Amſtel. MDLV. 4. pag. 74.

d) De Secta *Aretaei* ed. *Aretaei* Oxon. 1723. praefixa pag. XVIII.

e) *Dan. le Clerc* Hiſtoire de la Medecine lib. IV. Sect. I. Cap. II. ed. Amſtel. MDCCXIII. p. 505.

f) *Suid.* Lexic. ſub uoc. Αρχιγένης ed. KVSTERI pag. 345.

medicam Romae exercuit. I. A. FABRICIVS[g]) autem, cum POSIDONIO philoſopho magnam conſuetudinem fuiſſe ATHENAEO, eiusque et ASCLEPIADIS Bithyni aetate eum uixiſſe, perhibet. Nullius uero ueterum teſtimoniis uir in litterarum orbe celeberrimus nititur, neque temporum iuſtus ordo reſpondet. ASCLEPIADES enim et POSIDONIVS CICERONIS aequales fuerunt, quorum hic alterum medicum et amicum[h]) alterum familiarem ſuum[i]) nominat. Incertum eſt etiam, quo locorum uitam ſuam transegerit ATHENAEVS, ſuamque ſectam condiderit: ſed ſine dubio uixit Romae, quam in urbem his temporibus plurimi docti uiri confluebant, et in qua, quod PLINIVS[k]) praeclare notauit, omnis fere medicina penes Graecos erat. In eadem urbe omnes quoque fere eius aſſeclae floruerunt. Autoritas eius magna fuit inter ſui aeui medicos et laus praeclari medici plurima, quod ex GALENI[l]), rigoroſi medicorum cenſoris, aliorumque omnium libris patet, qui eum non, niſi cum excellentis ingenii et conſummati uſus laude nominant. Nullus quoque e medicis horum temporum aeque uniuer-

ſam

g) Bibl. Gaec. P. XIII. p. 93.

h) *Cic.* Lib. I. Orator. Cap. III. ed. Bipont. P. II. pag. 23.

i) *Cic.* Lib. I. de Finib. Cap. II. ed. Bipont. P. X. pag. 140.

k) *Plin.* Lib. XXIX. Cap. I.

l) *Galen.* Lib. VII. de Method. Medend. cap. III. ed. Chart. P. X. pag. 156.

ſam rei medicae rationem, ac ille litteris, GALENO[m]) expreſſe notante, mandauerat. Ipſe et ſectatores ſui Stoicorum philoſophiae erant deditiⁿ[n]), et GALENVS CHRYSIPPVM Solenſem ſeu Tarſenſem, philoſophum Stoicum, virum nominis fama celeberrimum ingenioſiſſimumque, proauum huius ſectae appellat[o]). Prima doctrinarum ſuarum elementa ex hac philoſophia deſumſit, coniungensque philoſophiam cum medicis ſcientiis, quod quidem ſaepius non ſine magno medicinae detrimento factum eſt, et uideri uoluit, et plane fuit medicus, quem HIPPOCRATES Magnus ἰσόθεον dixerat; non corrupit enim medicinam, philoſophia ſua in eam illata, ſed potius ornauit atque amplificauit. Non enim experientia tantum, ſed ratione quoque opus eſſe in medicina, bene perſpexit, eamque ob cauſam methodum quandum, a GALENO[p]) minime taxatam, in diſponenda atque tradenda ſalutari arte inuenit. Opiniones atque decreta, quorum ipſe autor extitit, quae fuerunt etiam propria ſectae ab eo conditae, et quaenam de elementis, generatione, febre, aliisque cogitauerit atque docuerit, infra exhibebimus atque explicabimus. Dolendum uero eſt, quod

m) *Galen.* Lib. I. de Element. cap. VI. T. III. pag. 15.

n) *Galen.* Lib. III. de diff. pulſ. cap. I. P. VIII. ed. Chart. pag. 63.

o) *Galen.* Lib. II. de diff. pulſ. cap. X. P. VIII. pag. 60.

p) *Galen.* de Arte Medica. Proem. T. II. pag. 196.

quod edax rerum tempus ſcripta tanti viri, in quibus, uti GALENVS notat, ἐπιςημονικαῖς ἀποδείξεσι uſus eſt, conſumſerit. Temporis uero haec iniuria effecit, ut ingenium uiri, qui artem et augendo et eandem in nouam formam redigendo, eximiam nominis famam eſt conſequutus, e ſcriptis ſuis cognoſcere quidem non liceat, utque hac uoluptate, quam aut noua inuenta, aut praeclarius quam antehac dicta, nobis adferunt, deſtituamur. De libris eius, praeter titulos, quaedamque excerpta, quae GALENVS potiſſimum exhibuit, nihil ſupereſt: plurimorum quoque placitorum ſuorum memoria, cum ipſis libris extincta eſt. Septem libros *de Semine* conſcripſit, aut forte plures, GALENVS enim eius *ſeptimum de Semine* q) memorat: libros XXIV *de elementis*, aut plures ſcripſit, *tertii* enim *de Elementis* r) et *libri uigeſimi quarti*, ubi ATHENAEVS tum medicorum tum philoſophorum opiniones de rigoris cauſis confutauerat, GALENVS meminit s), et in libris, quos GALENVS *de Elementis* confecit, eum memorat aduerſus ASCLEPIADEM diſputantem t). Praeter illa, quae in GALENI ſcriptis paſſim extant fragmenta, ſeptem ex ATHENAEI Commentariis capita

q) *Galen.* Lib. II. de Semine cap. I. P. III. pag. 214.

r) *Galen.* Definit. med. Definit. XXXI. P. II. pag. 236.

s) *Galen.* Lib. II. de Symptom. cauſ. cap. III. P. VII. pag. 69.

t) *Galen.* Lib. I. de Element. cap. XI. P. III. pag. 24.

ORIBASIVS [u]) in *Medicinalibus Collectionibus*, et *de aëris qualitatibus* AETIVS [x]) ſragmentum exhibent. Alium GALENVS ATHENAEVM, ſcilicet Augurem [y]) memorat, et in ORIBASII libris *Medicinalium Collectionum* MENESITHEVS ATHENAEVS [z]) occurrit, qui uero locus, mea quidem ſententia, uitioſe translatus et ſic emendandus eſt: MENESITHEVS et ATHENAEVS. MENESITHEVS enim non ignobilis medicus fuit ab ATHENAEO diuerſus [a]).

§. II.

THEODORVS ATQVE AGATHINVS, ATHENAEI DISCIPVLI.

Diſcipuli, qui ATHENAEO magiſtro ſunt uſi, THEODORVS ac AGATHINVS fuerunt. Viginti THEODOROS fuiſſe, DIOGENES LAERTIVS memorat [b]), quorum noſter decimus ſeptimus ATHENAEVM habuit praeceptorem. Inter Pneumaticorum

u) *Oribaſ.* Lib. I. Medicinal. Collect. cap. II. IX. XI. Lib II. cap. LXVII. Lib. V. cap. V. Lib. IX. cap. V. XII. Coll. Steph. p. 206. 209. 234. 263. 366. 368.

x) *Aet.* Tetrab. I. Serm. III. cap. CLXIII. ed. Graec. Venet. apud Aldum 1534. pag. 61.

y) *Galen.* Comment. in Hipp. lib. de acutor. uictu P. XI. pag. 10.

z) *Oribaſ.* Lib. II. Medicinal. Collect. cap. LXVII. Collect. Steph. pag. 234.

a) *Galen.* Lib. VII. Method. Medend. cap. III. P. X. pag. 156.

b) *Diogen. Laert.* Lib. II. de uit. Philoſophor. Ariſtip. ed. AEGID. MENAGII. Amſtel. 1692. pag. 170.

rum ſectae medicos THEODORVS minimam nominis famam adſequutus eſſe uidetur. In libris a GALENO conſcriptis, nomen THEODORI (et num hoc loco noſtrum THEODORVM uoluerit, ualde dubium eſt) una tantum uice occurrit c), et nonnulla a THEODORO compoſita medicamenta in ALEXANDRI TRALLIANI d), AETII e), et NICOLAI MYREPSI f) ſcriptis inueniuntur. Quoniam autem plures medici THEODORI nomen habentes extabant, uix certe dixerim, num noſter, numne alius THEODORVS, is incertus horum medicamentorum autor extiterit.

Alter ATHENAEI diſcipulorum, quorumque nomina ad nos peruenere, AGATHINVS Lacedaemonius g) fuiſſe uidetur, quem quidem ueteres ATHENAEO praeceptore uſum eſſe non memorant, Pneumaticorum ſectae tamen placita ab eo accepiſſe, partim teſtimonia doctiſſimi IO. WI-

c) *Galen.* De cuiusque animi peccatorum dignotione atque medela. Cap.VI. P.VI. pag. 549.

d) *Alexand. Trallian.* Lib.I. cap. XV. ed. Baſil. 1556. 8. pag. 79. Περὶ θεραπείας τῆς ἐπιληψίας ἐκ τοῦ δευτέρου Θεοδώρου.

e) *Aet.* Tetrab. IV. Serm. I. cap.XLVI. Serm. II. cap.XXIV. XLVIII. Coll. Steph. pag. 628. 694. 753.

f) *Nic. Myrepſ.* De Compoſit. medicament. Sect. IX. cap. XXIII. Sect. XXXVI. cap. CIV. Coll. Steph. pag. 547. 734.

g) *Galen.* definit. Medic. Defin. XIV. P. II. pag. 135.

GANI[h]) atque ALB. DE HALLER[i]) confirmant, partim uero et id probat, quod ARCHIGENES, Pneumaticorum ſectae medicus non incelebris, quem mox memorabo, AGATHINVM praeceptorem habuit[k]), ARCHIGENES uero, ſi temporis ſpatium, quo Pneumatici medici uiguerunt, a NERONE uel VESPASIANO, usque ad ADRIANVM uel ANTONIVM PIVM Imperatores, (ab anno LXIX poſt Chriſtum natum usque ad annum CLXI.) rite perpendes, tertius a ſecta condita fuit: AGATHINVS itaque ſecundus erat, quem ab ATHENEO ipſo et ſectae ſuae, et uniuerſae artis ſalutaris praecepta accepiſſe uero ſimile eſt. Secta, quam alii Epiſyntheticam, alii vero Eclecticam, alii Hecticen nominarunt, ab AGATHINO dicitur eſſe condita[l]). Nulla autem, exceptis nominibus, de hac ſecta nobis relicta ſunt monumenta, ita, ut quid ſenſerint huius ſectae aſſeclae, et in quo a placitis medicorum, quae his temporibus maxime ualebant, diſceſſerint, plane neſciamus. Sola huius ſectae nomina nobis ſuperſunt, et ex nominibus decreta huius ſectae uix alius proponet, niſi qui nugas fabulasque pro ueritate lectoribus uendere uelit. GALENVS non in pau-

h) De Aretaei Secta in ed. Aretaei. p. XIX.

i) Bibl Medic. Pract. P. I. pag. 197.

k) *Suid.* Lexic. ſub uoc. Ἀρχιγένης ed. KVSTERI P. I. pag. 345.

l) *Galen.* definit. Medicin. Defin. XIV. P. II. pag. 235.

paucis librorum ſuorum locis AGATHINVM medicum Pneumaticorum ſectae addictum et ATHENAEI ſectatorem [m]) nominat; hinc ſi epiſyntheticam ſeu eclecticam ſectam eam intelligimus, quae ex diuerſis ſectarum placitis, ſyſtema ſuum medicinale condiderit, AGATHINVM in contemplatiua medicae ſcientiae parte ATHENAEVM eſſe ſequutum, vero non abſimile eſt. Medicus non ignobilis fuit, et GALENVS, etſi multum contra eum diſputat [n]), uirum non uulgarem [o]) appellat. Omnes, quos confecit, libri et qui a GALENO aliisque nominantur, interierunt. Scripſit autem *de Pulſibus* [p]), *de Helleboro* [q]), *de febre ſemitertiana* [r]). *Emplaſtrum ad rhagades* GALENVS ex libris AGATHINI nobis ſeruauit [s]). Balnea frigida atque calida ualde commendauit [t]). ARCHIGENI, diſcipulo ſuo ſanitatem AGATHINVS reſtitutam debuit [u]), is enim eum ex uigiliis delirantem,

m) *Galen.* Lib. I. de dignoſcend. pulſib. cap. III. P. VIII. pag. 110.

n) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XI. P. VIII. pag. 98.

o) *Galen.* aduerſus eos, qui de typis ſcripſerunt, cap. III. P. VII. pag. 161.

p) *Galen.* Lib. II. de diff. pulſ. cap. VI. P. VIII. pag. 48.

q) *Cael. Aurelian.* Lib. III. Acut. Morb. cap. XVI. ed. AMANNI pag. 233. et *Oribaſ.* Lib. VIII. Medicinal. Collect. cap. II. Coll. Steph. pag. 336.

r) *Galen.* Comment. in Lib. I. Epidem. Com. III. Text. VI. P. IX. pag. 89.

s) *Galen.* Lib. V. de Compoſ. med. per genera cap. XI. P. XIII. p. 792.

t) *Oribaſ.* Lib. X. Medicinal. Collect. cap. VII. Collect. Steph. p. 388.

u) *Aet.* Tetrab. I. Serm. III. cap. CLXXII. ed. Graec. apud Ald. Venet. 1534. pag. 64.

tem, capite eius multo calido oleo irrigato, confeſtim liberauit.

§. III.

ARCHIGENES ET HERODOTVS AGATHINI DISCIPVLI.

AGATHINI diſcipuli, qui famam ſibi comparauerunt, quorumque memoria poſteritati eſt tradita ARCHIGENES[x]) atque HERODOTVS[y]) extant.

ARCHIGENES Apameae[z]), urbe Syriae, natus, patre PHILIPPO[a]) Romae ſub TRAIANO Imperatore uixit atque artem medicam exercuit[b]). Medicis, qui maximum apud ueteres celebritatis nomen conſequuti ſunt, eſt adcenſendus. Omnes fere, qui poſt eum de rebus medicis ſcripſerunt, autores, illius et quidem non ſine laude magna, faciunt mentionem. CAEL. AVRELIANVS[c]), ORIBASIVS, AETIVS, ALEXANDER TRALLIANVS, PAVLVS AEGINETA, NICOLAVS MYREPSVS, ACTVARIVS[d]), quin et Arabum medici IOANNES MESVES[e]), SERAPION

x) *Suid.* l. c. *Aet.* l. c. et *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XI. P. VIII. p. 98.

y) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XI. P. VIII. pag. 98.

z) *Galen.* Introduct. cap. IV. P. II. pag. 363. et *Suid.* Lexic. ſub uoc. Ἀρχιγένης.

a) *Suid.* l. c.

b) *Suid.* l. c.

c) Lib. II. Acut. Morb. cap. X. ed. AMANNI pag. 96. et 98.

d) Lib. VI. de Method. Medend. cap. VIII. Coll. Steph. pag. 310.

e) *Meſuae* opp. a IO. COSTA recenſ. Venet. 1568. pag. 132.

RAPION, RHAZES f), de eo in libris ſuis mentionem iniiciunt et methodum medendi ab eo inſtitutam, et medicamenta ab eo adhibita commendarunt, atque nobis tam ſtudioſe et copioſe ſeruarunt, ut libri, quos de medicamentis compoſuit, e ſcriptis horum uirorum opera uix difficili, poſſent reſtitui; et ALEXANDER TRALLIANVS g) diuiniſſimum eum appellat. Etſi GALENVS multum ab eo diſſentit, obſcurumque uirum h) et non rerum, ſed nominum, rem nullam declarantium nouatorem i) eum uocat, tamen uariis locis etiam leniter de eo iudicat k), imo ſaepe eum laudat l) et inter praeſtantiſſimos refert medicos m) atque φιλόπονον εἰς τὰ τῆς ἰατρικῆς ἔργα eum praedicat n), eiusque ſcripta ἀξιόλογα eſſe dicit. Pneumaticorum ſectae nomen dedit o); auctor uero

 libri,

f) *Io. Alb. Fabricii* Bibl. Graec. Tom. XIII. pag. 81.

g) *Alexand. Trall.* Lib. VII. cap. VI. ed. Baſil. 1556. pag. 332. Ἀρχιγένης μὲν οὖν ὁ θειότατος.

h) *Galen.* Lib. II. de loc. affect. cap. V. P. VII. p. 419.

i) *Galen.* l. c. cap. IV. pag. 418.

k) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. I. P. VIII. pag. 81. Ἐπεὶ καὶ τοῦτον τὸν ἄνδρα (Ἀρχιγένην) σὺν τοῖς ἄλλοις ἰατροῖς τοῖς νεωτέροις, τὸ τῆς φιλοριστίας ἐπενείματο νόσημα· καινὴν γὰρ ἐγω τὴν δε τὴν προσηγορίαν ἐπὶ τῷ καινῷ πράγματι τέθειμαι. καί τοι γε οὐκ ἦν ἄξιος Ἀρχιγένης παθεῖν τοῦτο τὸ κακὸν, οὐκ ἀμελῶς ἐσχηκὼς ἀνὴρ περὶ τὰ τῆς τέχνης ἔργα, ἀλλ᾽ ὥσπερ ψώρας καὶ ὀφθαλμίας ἀπολαύουσιν ἔνιοι τῶν πλησιαζόντων ἄκοντες, οὕτω καὶ ὁ ἀνὴρ οὗτος εἰς τὴν περὶ τῶν ὁρίσεων φλυαρίαν ὑπεσυρή.

l) *Galen.* Lib. III. de loc. affect. cap. I. P. VII. pag. 424.

m) *Galen.* Comment. in Lib. II. Epidem. Hipp. P. IX. pag. 142.

n) *Galen.* Lib. II. de loc. affect. cap. VI. P. VII. pag. 408.

o) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XII. P. VIII. pag. 99.

libri, qui *Introductio* uel *Medicus* inſcribitur, quique GALENO tribuitur, inter Eclecticorum ſectae medicos eum numerat p). Tanta fuit in diſputando pertinacia, ut ſtatueret, *ciuitatem potius, quam ullum ſectae placitum, prodendam* q). Hiera eius magni a priſcis medicis eſt habita, et quod GALENVS teſtatur, et e fragmentis ab eo nobis ſeruatis cognoſci poteſt, in curandi ratione fuit exercitatiſſimus r). Quanta nominis fama inter ceteros ſui aeui medicos, Romae artem exercentes, eminuerit, e nonnullis IUVENALIS locis poteſt perſpici. Sic enim Poëta Satyr. XIII. uerſ. 97. canit:

ſi non eget Anticyra, nec
Archigene.

et Satyr. XIV. uerſ. 252.

Ocyus Archigenem quaere, atque eme, quod Mithridates
Compoſuit.

et Satyr. VI. uerſ. 236.

tunc corpore ſano
Aduocat Archigenem.

Et uetus Scholiaſtes, magnum eum fuiſſe illius temporis medicum, ad hunc locum notat s). Aetatis anno LXIX diem, ſi SVIDAE eſt credendum, obiit ſupremum t) ſcripſit ARCHIGENES *undecim libros epiſtolarum*

p) *Galen.* Introduct. cap. IV. P. II. pag. 363.

q) *Galen.* Lib. II. de diff. pulſ. cap. X. P. VIII. pag. 60.

r) *Galen.* Lib. III. de loc. affect. cap. V. P. VII. pag. 431.

s) *Iuuenalis* Satyrae ed. HENRIC. CHRIST. HENNINIVS. Vltraj. 1685. 4. pag. 194.

t) *Suid.* Lexic. ſub uoc. Ἀρχιγένης.

ſtolarum[u]); in primo extabat *epiſtola ad* MARSVM, qua ipſi conſilium dabat, quomodo patri memoriam laeſam reſtitueret. Scripſit porro, praeter hos undecim libros, epiſtolam ad MARSVM *de atra bile*[x]); *epiſtolam* ad eundem *de melancholia*[y]); epiſtolam ad ATTICVM[z]); epiſtolam ad ARISTONEM[a]); libros duos *de morborum temporibus*[b]); librum *de propriis diuturnorum morborum ſignis*[c]); libros *de pulſibus*[d]), in quos GALENVS octo Commentarios ſcripſit[e]), qui autem inter GALENI ſcripta non amplius extant, ſed interierunt; librum *de uehementi pulſu*[f]); librum *de febrium ſignificatione*[g]); *Commentarios de febrium ſignis*[h]); *Compendium horum de febrium ſignis Com-*

u) *Galen.* Lib. III. de loc. affect. cap.V. P.VII. pag. 429.

x) *Aet.* Tetrab. I. Serm. III. cap.CXIV. et Tetrab. II. Serm. II. cap. XXXVII. Coll. Steph. pag. 136. 267.

y) *Nicol. Myrepſ.* Sect. XXIII. cap. XX. Coll. Steph. pag. 649.

z) *Paul. Aeginet.* Lib. III. cap. XLV. Coll. Steph. pag. 446.

a) *Aet.* Tetrab. I. Serm. III. cap. CLXXXIV. Coll. Steph. pag. 160.

b) *Galen.* de totius morbi temporib. cap.VIII. P.VII. pag. 34.

c) *Galen.* Lib. III. de loc. affect. cap. XII. P.VII. pag. 447. et *Oribaſ.* Lib.VIII. Medicinal. Collect. cap.I. Collect. Steph. p. 333.

d) *Galen.* de arte Medend. cap. XXXVII. P. II. pag. 231. Lib.VIII. de Method. medend. cap. III. P. X. pag. 188. Lib. IV. de diff. pulſib. cap. I. P.VIII. pag. 81. et Lib. III. de Praeſagit. ex pulſ. cap.V. et VII. P.VIII. pag. 288. 293.

e) *Galen.* de libris propriis cap. V. P. I. pag. 43. et Lib. III. de Praeſagit. ex pulſ. cap.VII. P.VIII. p. 293. Lib. II. de diff. febr. cap.VIII. P.VII. pag. 138.

f) *Galen.* Lib. III. de diff. pulſ. cap. I. P.VIII. pag. 62.

g) *Galen.* Lib.VIII. Method. medend. cap. III. P. X. pag. 158.

h) *Galen.* Lib. III. de diff. pulſ. cap.VII. P.VIII. pag. 79. et Lib. III. de Praeſagit. ex pulſ. cap.VII. P.VIII. pag. 293.

Commentariorum i); librum *de reſtauratione laeſae memoriae* k); librum *de Caſtorei uſu* l); libros duos *de medicamentis ſecundum genus* m).

HIERONYMI MERCVRIALIS ſententia n): *apud* DIONEM CASSIVM pro HERMOGENE ARCHIGENEM *legendum eſſe*, iam a FABRICIO o) et CLERICO p) optime refutata, plurimam ueri ſpeciem prae ſe ferre uix mihi uidetur. Fuit enim HERMOGENES alius medicus, qui ADRIANO Imperatore uixit q), in quem duo proſtant epigrammata, quorum alterius LVCILLIVS r) alterius MARTIALIS s) eſt autor,

i) *Galen.* ibid.

k) *Galen.* Lib. III. de loc. affect. cap. V. P. VII. pag. 428.

l) *Galen.* Lib. XI. de Simplic. medicament. facultatib. cap. I. P. XIII. pag. 304.

m) *Galen.* Lib. III. de Compoſit. Medicament. ſecund. loc. cap. II. Lib. V. cap. III. et Lib. IV. de Compoſit. Medicament. per gen. cap. IX. P. XIII. pag. 412. 471. 759. *Alexand. Trallian.* Lib. I. cap. XV. ed. Baſil. 1536. pag. 82.

n) Lib. I. Variarum Lectionum, Baſil. 1576. cap. V. pag. 14.

o) Bibliothec. Graec. P. XIII. pag. 180.

p) Hiſt. de la Medicin. P. II. Lib. IV. Sect. II. cap. I. ed. Amſtel. 1723. pag. 503.

q) *Dio Caſſ.* Lib. LXIX. hiſt. Rom. ed. IO. LEVNCLAVII. Hanou. 1606. pag. 797.

r) Antholog. Graec. ed. R. F. P. BRVNCK. Argent. 1773. P. II. pag. 324.

Ἑρμογένη τὸν ἰατρὸν ἰδὼν Διόφαντος ἐν ὕπνοις
Οὐκ ἔτ' ἀνηγέρθη, καὶ περίαμμα φέρων.

s) *Martialis* Lib. VI. Epigrammat. Epigr. LIII.

Lotus nobiſcum eſt hilaris, coenauit et idem,
Inuentus mane eſt mortuus Andragoras.
Tam ſubitae mortis cauſſam, Fauſtine, requiris?
In ſomnis medicum uiderat Hermogenem.

autor, qui illud LVCILLII imitatus eſt, quae autem minime in laudem HERMOGENIS ſunt ſcripta.

Alter ex AGATHINI diſcipulis HERODOTVS fuit, cui praeceptor librum ſuum de pulſibus dedicauit [t]). I. A. FABRICIVS [u]) eum pro uno ex ATHENAEI diſcipulis habere uidetur, et ANDR. TIRAQVELLVS [x]) MENONEM eius praeceptorem fuiſſe affirmat, et quidem ex his GALENI [y]) uerbis: Τούτῳ γὰρ ἀνδρὶ (Ἡρόδοτῳ) προσεφώνησε τὸ βιβλίον ἑαυτου μὲν ὄντι μαθητῇ, quae eſt peſſime interpretatus, luce enim clarius ex hoc loco adparet, AGATHINVM fuiſſe HERODOTI doctorem. Patria HERODOTI ignoratur. Romae autem NERVA ſeu TRAIANO Imperatore uixit, ibique artem ſuam exercuit, et teſte GALENO [z]), non ſine magna laude. E numero Pneumaticorum fuit medicorum, et tanto ſtudio doctrinis huius ſectae fuit deditus, ut omnes alias medicorum ſectas, praeter Pneumaticorum parui faceret [a]). Quaedam adhuc medicamenta ab eo compoſita, in GALENI, AETII et ORIBASII

ſcriptis

t) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XI. P.VIII. pag. 98.

u) Biblioth. Graec. P.XIII. pag. 184.

x) *Andr. Tiraquelli* de nobilitate in Eiusd. Opp. P. I. Francof. ad Moen. 1597. pag. 177.

y) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XI. P.VIII. pag. 98.

z) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XI. P.VIII. pag. 98.

a) *Galen.* Lib. I. de ſimplic. medicam. facultatib. cap. XXIX. P.XIII. pag. 21. Ὡς Ἡρόδοτος μέν, ἁπάσας τὰς ἄλλας αἱρέσεις μοχθηρὰς ὑπολαμβάνων, πλὴν τῆς πνευματικῆς.

ſcriptis inueniuntur, et hi quoque nonnullos libros ab eo conſcriptos memorant. Scripſit uidelicet librum *de remediis extrinſecus occurrentibus* [b]); libros *de praeſidiis euacuantibus* [c]); librum *de remediis euacuantibus* [d]); librum *de auxiliis quae ſiunt* [e]); et librum quem ipſe *Medicum* inſcripſit [f]).

§. IV.

MAGNVS ET LEONIDES.

Ad MAGNVM nunc, Pneumaticorum ſectae medicum, non ignobilem [g]) oratio noſtra debet procedere. Patriam, ſi CAEL. AVRELIANO [h]) credendum eſt, habuit Epheſum, Romae autem, ADRIANO, ut uidetur, Imperatore uixit atque medicinam exercuit. Quo doctore uſus ſit, ignoratur. ARCHIGENIS autem, qui multum contra eum diſputat [i]), et GALENI aequalis et Romae Archiater fuit [k]). Scripſit libros *de Inuentis poſt* THEMISONIS *tempora* [l]), quos DEMETRIO Philoſopho dicauit;

b) *Oribaſ.* Lib. X. Medicinal. Collect. cap. IV. V. XVII. Coll. Steph. pag. 387. 394.

c) *Oribaſ.* [illegible] Medicinal. Collect. cap. XVII. Coll. Steph. p. 316.

d) *Oribaſ.* Lib. VIII. Medicinal. Collect. cap. VII. Coll. Steph. p. 342.

e) *Oribaſ.* Lib. VI. Medicinal. Collect. cap. XX. Coll. Steph. p. 291.

f) *Galen.* Comment. in Epidem. Hipp. Comment. VI. P. IX. p. 429.

g) *Galen.* Lib. III. de diff. pulſ. cap. II. P. VIII. pag. 65.

h) *Cael. Aurel.* Lib. III. Acut. morb. cap. XIV. ed. AMANNI. p. 225.

i) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. paſſim.

k) *Galen.* Lib. I. Theriac. ad Piſonem. cap. XII. P. XIII. pag. 948.

l) *Galen.* Lib. III. de diff. pulſ. cap. I. P. VIII. pag. 63.

cauit; librum *Theriacae ad* PISONEM m); libros *de pulſibus* n) et *epiſtolas*, quas CAEL. AVRELIANVS o) memorat. In hunc quoque medicum LVCILLIVS compoſuit epigramma p), ex quo ſaltem liquet, eum praeclari medici munere eſſe functum atque bonum fuiſſe uirum. Epigramma, quod in GALENVM extat q), MAGNVM noſtrum autorem habere, IO. ALB. FABRICIVS exhibet r). Nomen eius quoque in AETII s), ALEXANDRI TRALLIANI t), NICOLAI MYREPSI u) et ACTVARII x) ſcriptis memorat.

LEO-

m) *Galen.* Lib. I. Theriac. ad Piſonem cap. XIII. P. XIII. pag. 948.

n) *Galen.* Lib. III. de diff. pulſ. cap. I. P. VIII. pag. 61.

o) *Cael. Aurel.* Lib. III. Acut. Morb. cap. XIV. ed. AMANNI. p. 225.

p) Antholog. Graec. ed. R. F. P. BRVNCK. Argent. 1773. P. II. pag. 343.

Μάγνον, ὅτ' εἰς Ἀΐδην κατέβη, τρομέων Ἀϊδωνεὺς
Εἶπεν· Ἀναστήσων ἤλυθε καὶ νέκυας.

q) Antholog. Graec. P. II. pag. 304.

ΜΑΓΝΟΥ ΙΑΤΡΟΥ.
Εἰς τὴν εἰκόνα Γαληνοῦ.
Ην χρόνος ἡνίκα γαῖα βροτοὺς διὰ σεῖο, Γαληνέ,
Δέχνυτο μὲν θνητούς, ἔτρεφε δ' ἀθανάτους.
Χήρευεν δὲ μέλαθρα πολυκλαύτου Αχέροντος,
Σῇ παιηονίῃ χειρὶ βιαζόμενα.

Autor autem huius epigrammatis, quod MAGNO *ἰατρῷ* tribuitur, alius quam noſter, eſſe uidetur, uixit enim hic poſt GALENI tempora; MAGNVS autem Pneumaticus medicus GALENI aequalis fuit.

r) Biblioth. Graec. P. XIII. pag. 314.

s) *Aet.* Tetrab. IV. Serm. II. cap. XIII. Coll. Steph. pag. 754.

t) *Alexand. Trall.* Lib. V. cap. IV. ed. Baſil. 1558. pag. 260.

u) *Nic. Myrepſ.* Sect. XXXIV. cap. II. Coll. Steph. pag. 716.

x) *Actuar.* Lib. V. de Method. medend. cap. VI. Coll. Steph. p. 267.

LEONIDES non quidem Pneumaticorum familiae fuit addictus ſed Epiſyntheticae [y]), quam iam memoraui, et ſolus huius ſectae medicorum eſt, cuius memoria ad poſteritatem pervenit. Cuius ſectae medici, quum ex aliarum ſectarum placitis eligerent, quae iis optima uidebantur, et in contemplatiua medicinae parte, quod ſupra probaui, Pneumaticorum placita non raro ſequerentur, quid de eo in priſcorum monumentis nobis reſtet, enarrabo. Et quidem haec pauca ſunt, ut adeo etiam eorum, quae ſcripſit, tituli perierint, bonique et probati medici laudem uix eſſe conſequutus uideatur. Nam praeter medicamenta quaedam, quae AETIVS [z]) ac PAVLVS AEGINETA [a]) nobis ſeruarunt, ueteres medici nihil de eo perhibent. Illum quoque Chirurgiae operam dediſſe hi ſcriptores memorant, et in libris eorum quaedam adhuc fragmenta chirurgica e LEONIDAE libris, u. g. *de fiſtulis ani* [b]), *de herniis* [c]), *de melicerite* [d]), *de methodo mammas cancroſas*

y) *Cael. Aurel.* Lib. II. Acut. morb. cap. I. pag. 75. et *Galeni* Introduct. cap. IV. P. II. pag. 363.

z) *Aet.* Tetrab. II. Serm. II. cap. I. Tetrab. IV. Serm. II. cap. VIII. Coll. Steph. pag. 241. 686. et paſſim.

a) *Paul. Aeginet.* Lib. IV. cap. LXIV. Coll. Steph. pag. 518. et aliis locis.

b) *Aet.* Tetrab. IV. Serm. II. cap. II. Coll. Steph. pag 687.

c) *Aet.* ibid. cap. XXII. XXIII. pag. 692—694.

d) *Aet.* Tetrab. IV. Serm. III. cap. VII. Coll. Steph. pag. 743.

croſas amputandi e), *de membrorum amputatione* f) etc. inueniuntur, et is unicus Pneumaticorum eſt medicus, quem arti chirurgicae operam dediſſe, notum eſt.

§. V.

TEMPORIS SPATIVM, QVO PNEVMATICI MEDICI FLORVERVNT.

Perbreue itaque temporis ſpatium eſt, quo ſecta, de qua agimus, Pneumaticorum uiguit, annis ſcilicet XCII. a VESPASIANO nimirum ad ANTONINVM PIVM usque Imperatorem comprehenſum. Quoniam autem haec ſecta tum medicos habuit, qui decretis illius adſentirentur, (quod iam probavimus) celeberrimos, cum in plurimis contemplatiuae medicinae doctrinis, a placitis, quae his temporibus potiſſimum ualebant, Empiricorum medicorum atque Methodicorum (quod mox probabimus) diſceſſit: plurimum ſane intereſt cauſas ſcire, quae effecerint, ut ſecta ſub auſpiciis non plane infelicibus nata, perierit, cum vix effloruiſſe eſſet uiſa. Eaeque partim in ipſo modo latent, quo medicina his temporibus Romae colebatur, partim in ipſo horum temporum ingenio moribusque. Medicinales hae ſectae florebant, Dogmatica, eaque antiquiſſima, Empirica, illi antiquitate quidem,

e) *Aet.* Tetrab. IV. Serm. IV. cap. XLV. Coll. Steph. pag. 800.
f) *Paul Aeginet.* Lib. VI. cap. LXXXIV. Coll. Steph. pag. 587.

quidem, non uero celebritate ſecunda, atque Methodica ex utraque, maxime tamen ex Empirica, quod probauit Praeceptor optimus ACKERMANN g), Vir Celeberrimus, nata. Empiricis his temporibus atque Methodicis uia facilis tritaque eſſe uidebatur, ad diſcendam exercendamque medicinam, notaque eſt uana gloriola, qua THEMISON ſe medicinam intra ſex menſes cuiquam ita traditurum promiſit, ut eam plane caperet eique exercendae plane idoneus eſſet. Facilis hinc plurimis medicis opera in diſcenda atque exercenda medicina cum uideretur, eo facilius multi adducti ſunt, ut poſthabitis iis fere omnibus, quae operam et ingenii laborem requirunt, in leuioribus medicinae ſtudiis acquieſcerent, grauiora fugerent. Grauiora quidem et laborioſiora Dogmaticorum erant ſtudia, uerum haec ſtudia non in amplificanda medicina, non in finibus illius dilatandis, ſed potius in diſcendis iis, quae ERASISTRATVS, quae HEROPHILVS dixerat, atque in diſceptationum, contentionum atque rixarum ſtudio conſiſtebat, ut quoque poſt horum uirorum tempora usque ad GALENVM etiam in ſpeculatiua medicinae parte uix multa nouiter eſſe dicta putem. Frigus atque ſegnities his temporibus inge-

g) Illuſtr. IO. CHR. GOTTL. ACKERMANN *Beytraege zur Geſchichte der Secte der Empiriker nach den Zeiten des Galenus.* In PHIL. LVDW. WITTWERI Fautoris optimi *Archiv für die Geſchichte der Arzneykunde*, *Nürnb.* 1790. 8. *I. B. I. St.* pag. 36. ſeqq.

ingenia medicorum occupauerat, vix, niſi aliorum contradictione incaleſcentia: ſique aliquando magnum quendam naſci uirum contingeret, qui in medicinae finibus dilatandis, aut nouis contemplationibus excogitandis non inglorius uerſaretur, ſtupuerunt, adſequi non potuerunt.

Mores quoque Romanorum, uti temporibus poſt ſectam Pneumaticorum natam erant, promouendae ipſi atque prouulgandae uix commodi fuerunt. Romani enim, uti PERSIVS, IVVENALIS h), COR. TACITVS, GALENVS aliique eos depingunt, luxuriae atque deſidiae fuerunt dediti, litteras uero atque artes neglexerunt ac contemſerunt. Pecuniae et honorum cupido eorum occupauerat animos, deditique erant uoluptatibus ac deliciis. Cum reliqua adulatorum turba etiam Philoſophi apud principes ciuitatis circumuolitabant; mane eos ſalutando, ueſpéri apud eos coenando erant occupati, ἐκ τούτων γὰρ, ut GALENI i) uerbis utar, καὶ φιλεῖσθαι, και προσάγεσθαι, καὶ τοὺς τεχνίτας πιςεύεσθαι, ὀυκ ἐκ τῆς οἰκείας παρασκευῆς. Quid? quod

ſi

h) *Iuuenalis* Satyr. III. uerſ. 41. ſeqq.

Quid Romae faciam! mentiri neſcio; librum,
Si malus eſt, nequeo laudare, et poſcere; motus
Aſtrorum ignoro: funus promittere patris
Nec uolo, nec poſſum: ranarum uiſcera nunquam
Inſpexi. — — — — — — — —
— — — — — — — — — —
Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te ſecreti fecit honeſti. etc.

i) *Galen.* Lib. I. Method. Medend. cap. I. P. X. pag. 2.

ſi quis ſectabatur ſapientiae ſtudium, pro inſano habebatur. Empiricorum nugae ac Methodicorum arrogantia, huic aeuo magis erant accomodatae, quorum illi rationalem diſciplinam nihil ad medicinam, hi uero nullius cauſae notitiam quidquam ad curationes pertinere, ſatisque eſſe quaedam communia morborum intueri, exiſtimabant. Non itaque mirandum eſt, Pneumaticorum ſectam alta, quod mox probabo, contemplatione, quid in intimis ſuis penetralibus natura ageret, rimantem, medicinamque cum philoſophia coniungentem, ſtudium ergo et laborem a ſuis poſtulantem, tam paucos inueniſſe ſectatores, et tam breui temporis ſpatio et effloruiſſe et defloruiſſe. Et GALENI iam temporibus Pneumaticorum ſecta extincta eſſe uidetur, unicusque, qui illius fecit mentionem ſcriptor, eſt GALENVS. Omnes antiqui rerum medicarum autores, etſi ſectatorum nomina ſaepe in eorum ſcriptis occurrunt, ſectam Pneumaticam et medicos Pneumaticos ſilent. Neque GALENVS in libris, quos de ſectarum placitis expreſſe ſcripſit, Pneumaticorum ſectam memorat. Occaſione data in aliis libris nonnullas huius ſectae doctrinas exponit, contra quas diſputat, easque refellit. Hinc GALENVM quoque uix magni hanc ſectam aeſtimaſſe credibile eſt; quamuis eius ſectatores non ſine laude eſſe ſinit: philoſophiam enim huius ſectae, quae Stoicorum erat, non amabat.

SECTIO

SECTIO II.

DOCTRINAE SECTAE MEDICORVM PNEVMATICORVM.

§. I.

VOCIS ΠΝΕΥΜΑ SIGNIFICATIO.

Pneumatici medici animam mundi Stoicorum, quorum doctrinis, uti ſaepe iam diximus, erant dediti, πνεῦμα appellare ſolebant. Multis quidem philoſophorum, non caſu fortuito ortum fuiſſe hunc mundum, antiqniſſimis iam temporibus erat perſuaſum. Stoici autem ignem quendam artificioſum [a]), (πῦρ τεχνικὸν, πνεῦμα πυροειδὲς, καὶ τεχνοειδὲς) [b]) ui omnia procreandi ac conſeruandi praeditum [c]) materiaeque incluſum atque immixtum, mundum procreaſſe putabant. Ex hoc igne artificioſo elementa, quae

rerum

a) *Cic.* Lib. II. de Natur. Deor. cap. XXII. P. XI. ed. Bipont. p. 82. Non quod is ignis arte quadam procreatus ſit, ſed ob uim omnia progignendi ac conſeruandi, artificioſum illum nominabant: τό τε (πῦρ) τεχνικὸν αὐξητικόν τε καὶ τηρητικόν. *Stob.* Eclog. phyſ. pag. 57. et *Cic.* l. c.

b) *Diogen. Laert.* Lib. VII. de uit. philoſoph. *Zen.* Segm. 156. ed. AEGID. MENAGII, Amſtel. MDCXCII. pag. 465. et *Plutarch.* Lib. I. de plac. philoſ. cap. VI. T. II. ed. GVIL. XYLANDRI, Francof. MDCXX. pag. 879.

c) *Io. Stobaei* eclog. phyſ. pag. 57.

rerum univerſitatem efficiunt, tali modo prodiiſſe exiſtimarunt. Ignis ſubſtantiam per aërem uerſam in humorem transiiſſe, craſſiorem eius partem atque conſiſtentem mutatam eſſe in terram, ſubtiliorem uerſam in aërem (nos ambientem), ſubtiliſſimam autem ignem euaſiſſe [d]). Hunc uero ignem artificioſum, quem CICERO etiam ardorem [e]) appellat, carentem quidem forma, omnes poſſe formas induere [f]). Isque ignis, ex Stoicorum mente, animus eſt, quia ſua ſponte mouetur [g]), mundum itaque reddit animantem [h]), qui, quia uniuerſus ſingulis ſuis partibus ipſisque hominibus intelligentia ac ſapientia praeditis, eſt melior, etiam intelligens ſapiensque ſit, neceſſe eſt [i]). Quod etiam ZENO apud CICERONEM [k]) ita probabat: *Quod ratione utitur, id melius eſt, quam id, quod ratione non utitur; nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur.* Et porro: *Nul-*

d) *Diog. Laert.* Lib. VII. de uit. Philoſ. Segm. 142. ed. AEG. MENAGII pag. 454. *Γίνεσθαι τε τὸν κόσμον, ὅταν ἐκ πυρὸς ἡ οὐσία τραπῇ δι' ἀέρος εἰς ὑγρότητα, εἶτα τὸ παχυμερὲς αὐτοῦ συςὰν ἀποτελεσθῇ γῆ, τὸ δὲ λεπτομερὲς ἐξαερωθῇ, καὶ τοῦτ' ἐπιπλέον λεπτυνθὲν πῦρ ἀπογεννήσῃ.*

e) *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. XII. P. XI. ed. Bipont. pag. 71.

f) *Plut.* Lib. I. de Placit. philoſ. cap. VI. T. II. ed. GVIL. XYLAND. p. 879. *Πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, ουκ ἔχον μέν μορφὴν, μεταβάλλειν δὲ εἰς ἁ βούλεται, καὶ συνεξομοιούμενον πᾶσι.*

g) *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. XII. P. XI. pag. 71.

h) *Diog. Laert.* Lib. VII. Segm. 142. pag. 455.

i) *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. XII. P. XI. pag. 71. et *Diogen. Laert.* Lib. VII. Segm. 143. pag. 458.

k) *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. VIII. P. XI. pag. 67.

Nullius ſenſu carentis pars aliqua poteſt eſſe ſentiens; mundi autem partes ſentientes ſunt: non igitur caret ſenſu mundus. Deinde: *Nihil*, inquit, *quod animi, quodque rationis eſt expers, id generare ex ſe poteſt animantem compotemque rationis: mundus autem generat animantes compotesque rationis: animus eſt igitur mundus composque rationis.* Similitudine quoque, ad probandum quod adſeruerat, ZENO hac utebatur: *Si ex oliua modulante canentes tibiae naſcerentur; num dubitares, quin ineſſet in oliua tibicinii quaedam ſcientia? Cur igitur mundus non animans ſapiensque iudicetur, cum ex ſe procreat animantes atque ſapientes?* Plura argumenta, quibus Stoici philoſophi, ZENONE inprimis autore uſi ſunt, huc facientia, apud CICERONEM leguntur.

Illa autem anima mundus, qui per eam, illis perhibentibus, deus et immortalis redditur [l]), eſt quaſi perfuſus [m]):

— — dixere: Deum namque ire per omnis
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum;

 Hinc

l) *Diog. Laert.* Lib. VII. Segm. 147. p. 458.

m) *Plut.* Lib. I. de placit. philoſ. cap. VII. p. 881. Οἱ Στωϊκοὶ κοινότερον θεὸν ἀποφαίνονται, πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον, ἐπὶ γενέσει κόσμου ἐμπεριειληφότος πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους, καθ᾽ οὓς ἕκαστα καθ᾽ εἱμαρμένην γένεται, καὶ πνεῦμα μὲν διῆκον δι᾽ ὅλου τοῦ κόσμου, τὰς δὲ προσηγορίας μεταλαμβανὸν δι᾽ ὅλης τῆς ὕλης, δι᾽ ἧς κεχωρήκει παραλλάξει· θεὸν δὲ καὶ τὸν κόσμον, καὶ τούς ἀστέρας, καὶ τὴν γῆν, τὸν δὲ ἀνωτάτω πάντων νοῦν, ἐν αἰθέρι.

Hinc pecudes, armenta, uiros, genus omne ferarum,
quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere uitas [n]).

Non autem omnia aequali modo penetrat haec anima, ſed quaedam minus, uti oſſa et neruos, quaedam magis, uti mentem, ueluti per principatum (ὡς διὰ τὸν ἡγεμονικὸν) [o]). Omnibus etiam quae uiuunt, quae aluntur, quae creſcunt, hominibus, animantibus, plantis caet. hic ignis inſitus eſt [q]), qui, notante CICERONE, quamdiu remanet in nobis, tamdiu ſenſus et uita remanent, refrigerato autem et extincto calore, occidimus ipſi et extinguimur.

Quum autem duo ſint genera animantium, nimirum alia ratione praedita, alia ea carentia, duos quoque animos, hominibus rationalem, irrationalem uero reliquis animalibus Stoici tribuerunt [r]), non ſine contradictione quadam, id quod in uniuerſum ratione praeditum dixerant, in aliis frui, in aliis uero carere ratione exiſtimantes.

Tribuerunt etiam ſideribus hanc animam: Eſſe probabile, dixerunt, praeſtantem intelligentiam ineſſe ſideribus, quae et aethercam mundi partem incolant, et marinis terreniſque humoribus, longo interuallo exte-

n) *Virgil.* Lib. IV. Georgic. uerſ. CCXX — CCXXIII.

o) *Diog. Laert.* Lib. VII. Segm 138. pag. 452.

p) *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. IX. P. XI. pag. 68.

q) *Cic.* l. c.

r) *Antonin.* Lib. IX. cap. VIII. ed. CHRIST. WOLLE, Lipſ. 1729. p. 190 Εἰς μὲν τὰ ἄλογα ζῶα μία ψυχὴ διῄρηται· εἰς δὲ τὰ λογικὰ, μία νοερὰ ψυχὴ μεμέρισται.

extenuatis, alantur. Senſum autem aſtrorum atque intelligentiam maxime declarabat, ex eorum ſententia, ordo eorum atque conſtantia. Nihil enim eſt, quod ratione et numero moueri poſſit ſine conſilio; in quo nihil eſt temerarium, nihil uarium, nihil fortuitum. Ordo autem ſiderum et in omni aeternitate conſtantia, neque naturam ſignificat; eſt enim plena rationis [s]).

Huic denique animae, quae omnia aequali et inaequali modo penetrat, praecipuam quandam adſignarunt ſedem, quae ſecundum CHRYSIPPVM coelum uel puriſſimus ac liquidiſſimus aether eſt [t]); ſecundum POSIDONIVM coelum [u]); ſecundum CLEANTHEM ſol [x]). Alii in terra eam habitare putabant [y]).

Principio coelum ac terras camposque liquentes,
Lucentem globum lunae, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit; *totamque infuſa per artus*
Mens agitat molem, et magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum, pecudumque genus, uitaeque uolantum,
Et quae marmoreo ferit monſtra ſub aequore pontus.
Igneus eſt illis uigor, et coeleſtis origo

C 5 *Semi-*

s) *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. XVI. P. XI. p. 76. et *Diogen. Laert.* Lib. VII.

t) *Diogen Laert.* Lib. VII. Segm. 139. p. 452.

u) *Diogen. Laert.* l. c.

x) *Diogen. Laert.* l. c.

y) *Euſeb.* de Praep. Ecc. XV, 15.

Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetat artus, moribundaque membra [z]).

ATHENAEVS igitur eiusque aſſeclae, Stoicorum doctrinis imbuti, hanc de anima mundi ſententiam in medicinam transtulerunt, ſpiritum cuncta penetrantem ſtatuentes, quo recte conſtituto, naturalia conſiſtere ac gubernari, quo uero offenſo, morbos procreari contendebant. Vnde etiam πνευματικοὶ ſunt appellati [a]).

§. II.

PHYSIOLOGIA.

Perpauca tantum de doctrinis Pneumaticis medicis propriis fragmenta, quum omnia eorum ſcripta ſunt deperdita, adhuc reſtant. Quae de illorum phyſiologia GALENVS, contra eos diſputans, nobis ſeruauit, nunc exhibebimus. Secundum autem ueterum ſententiam, phyſiologia non ſola doctrina de corpore humano et de uſu partium illius eſt, ſed in naturae uniuerſae contemplatione uerſatur, indeque et philoſophi et medici, rationem adhibentes, hanc uniuerſae naturae ſcientiam imprimis coluerunt. Extant autem adhuc quaedam in GALENI libris, quae *de elementis, de conceptione, de animo, de reſpiratione* cogitarunt Pneumatici medici.

§. III.

z) *Virgil.* Lib. VI. Aeneid. uerſ. 724—432.

a) *Galen.* Introduct. cap. IX. P. II. p. 368.

§. III.

ELEMENTA.

Minima rei cuiuscunque particula, ſecundum GALENI b) ſententiam, eſt elementum. Stoici autem id, ex quo, quae fiunt, primam trahunt originem et in quod extrema quaeque reſoluuntur, elementum exiſtimantes c), quatuor exiſtere elementa docebant, ignem nimirum et aquam, terram et aërem, et ſingula quidem, cum ſit ignis calidus, aër frigidus, aqua liquida, terra ſicca, natura alteri contraria praedita d). Mutationem ſubire haec elementa, et aliud ex alio, aërem nempe ex aqua, ignem ex aëre, terram ex aqua, aquam ex terra fieri poſſe, putabant e). Ab hac ſententia a Stoicis prolata, quorum doctrinis caeteroquin ualde deditus fuit, nec non a caeterorum et medicorum et philoſophorum opinionibus diſceſſit ATHENAEVS, ſtatuens quippe, quae caeteri qualitates elementorum appellabant, calidum nimirum et frigidum, humidum et ſiccum ipſa eſſe elementa, idque tam clare poſſe perſpici, ut nulla egeat demonſtratione f). Ex minimis, ſimpliciſſimis et uix apparentibus horum elemento-

b) *Galen.* Lib. I. de element. cap. I. P. III. pag. 1.

c) *Diog. Laert.* Lib. VII. Segm. 136. pag. 450. Ἐςι δὲ ςοιχεῖον, ἐξ ὃυ πρώτου γίνεται τὰ γινόμενα, καὶ ἐις ὃ ἔσχατον ἀναλύεται.

d) *Diogen. Laert.* l. c.

e) *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. XXXIII. P. XI. p. 93. et *Senec.* Lib. III. Quaeſt. Nat. cap. X. P. IV. ed. Bipont. p. 236.

f) *Galen.* Lib. I. de Element. cap. VI. P. III. pag. 15.

mentorum particulis hominem eſſe compoſitum, in quae iterum quoque diſſoluatur g), eaque in re cum Stoicis conſentiebat. Duo horum, ſiccum nimirum et humidum materialia (τὰ υλικὰ), calidum autem et frigidum, cauſas efficientes (τὰ ποιητικὰ) appellat, quae ſcilicet in materia uim ſuam exſerunt h). Qualitates quoque nonnunquam et poteſtates; interdum etiam corpora, elementa, quae ipſi ſibi cogitauerit, teſte GALENO [i]), nominauit. GALENVS hanc ATHENAEI de elementis doctrinam non probauit eamque, pro ſuo more, multis refutauit. Si elementa, GALENVS inquit, tam clare perſpici poſſent, ut nulla egerent demonſtratione, de aliis quoque rebus haec ualerent. Tunc enim u. g. quoque primo intuitu, quae alimenta noxia, quae ſalubria futura ſint, doceri poſſe; omnes enim panem, lentem, carnem caet. noſſe; attamen neminem eſſe, qui tantum intuitu cognoſcat, an haec ſint ſalubria an minus? Veratrum, ſcammonium, elaterium caet. omnes poſſe et uideri et guſtari et odore cognoſci, quae autem uires ſint cuilibet horum medicamentorum, ex hac diſquiſitione nemini apparere. Calidum quoque et frigidum, humidum et ſiccum qualitates quidem elementorum, non autem elementa ipſa eſſe

g) *Galen.* definit. Medicin. Defin. XXXI. P. II. pag. 236.

h) *Galen.* Medic. cap. IX. P. II. pag. 368.

i) *Galen.* Lib. I. de element. cap. VI. P. III. p. 15.

eſſe, copioſiſſime probat. GALENVS decimum nonum annum agens, cum uno e Pneumaticorum numero de hac re diſputans, eum optime refutauit, eoque redegit, ut riſui omnium exponeretur. Tam ualde enim bonus ille homo haerebat, ut u. c. calidum multiplicem ſignificationem habere, primo quidem qualitatem cuiuscunque rei, deinde corpus ea qualitate maxime praeditum, et tertio id, in quo haec qualitas alias ſuperaret, ſignificare affirmaret [k]).

§. IV.

CONCEPTIO.

Modus, quo foetus in utero concipitur, formatur ac procreatur, ab omni aeuo latuit. Nulli mortalium adhuc in penetralia naturae intrare licitum fuit. Vera itaque huius rei ratio, quum nec noſtris adeo temporibus adhuc conſtet, medicorum ſtudium, qui in re tam abſtruſa coniecturis utebantur, eo magis probandis, quo minus a ueri quadam ſpecie abhorrerent, laudandum eſt. Pneumatici medici ſingularem hanc de conceptione et foetus formatione protulere ſententiam, quae etſi cum notione, quam Stoici ab ARISTOTELE receperant, generatim conuenit, tamen nunc curatius exponenda eſt. Ex ATHENAEI ſententia, e ſemine uirili et ſanguine menſtruo foetus procreatur. Sanguis menſtruus materia eſt, in quam ſemen uirile,

k) *Galen.* Lib. I. de Element, cap. VI. P. III. pag. 15.

le, ui efficiendi praeditum, agit. Ab hoc foetum et formam accipere docebat[l]); generationem uero e ſanguinis coctione fieri[m]).

Quum plerique ueterum philoſophi et medici, (quod et ipſe HIPPOCRATES et GALENVS fecit[n]) ſemen maſculinum et foemininum ſtatuiſſent, ex quorum miſtura foetus ortum duceret, formaretur et uitam acciperet, ATHENAEVS ab his diſcedens opinionem ſuam ſic defendit: Nec ſemen nec organa illud ſecernentia mulieribus eſſe, neque eas ſeminale excrementum (περίττωμα σπερματικὸν) habere, quia ſanguineum excrementum (περίττωμα αἱματικὸν) haberent; non autem unum animal duo poſſe in ſe habere principia foetum generandi, materiam (ὕλην) nimirum et uim efficiendi (δύναμιν)[o]). Teſtes, qui ſemen ſecernunt, et uaſa, quae ſemen ſecretum, uti in uiris eſt, conſeruant, mulieribus ueteres quoque tribuerunt; ATHENAEVS autem, tantum ob συμμετρίαν mulieribus teſtes eſſe putauit, uti mares etiam, et quidem ob formae tantum dignitatem, mammis eſſent praediti[p]). Quae ſententia ATHENAEI de conceptione et formatione, GA-LENO

l) *Galen.* Lib. II. de Semine cap. II. P. III. pag. 217.

m) *Galen.* Lib. II. de Semine cap. V. P. III. p. 221. Ἐκ τῆς αἵματος πέψεως τὴν γένεσιν.

n) *Galen.* Lib. II. de Semine cap. I. P. III. pag. 11. et aliis locis.

o) *Galen.* Lib. II. de Semine cap. VI. P. III. pag. 219.

p) *Galen.* Lib. II. de Semine cap. I. P. III. pag. 213.

LENO quoque notante q), iam ARISTOTELI ſuit propria, et in eiusdem *de generatione animalium libris* extat r). ZENONEM et eius ſectatores hanc opinionem quoque fouiſſe, nemo non facile perſpiciet, non ignorans, ATHENAEVM principiis Stoicorum philoſophorum deditum fuiſſe. ZENO enim putabat, humidam quidem materiam a mulieribus cum uiro concumbentibus emitti; ſed hanc non ſeminis uim habere, ſed ſudorem eſſe, qui, quod in omni uehementi motu fieri ſolet, e corpore profunditur s). HIPPION t) quoque et SPHAERVS u), Stoici, e patris tandummodo ſemine partum naſci, ſemen quidem mulieribus eſſe, ſed infoecundum, quod nihil ad prolem generandam faceret et extra ipſum uterum excideret x), putabant.

§. V.

ANIMVS.

Quae Stoici de animi naturae ſint philoſophati, nunc enarrandum eſt: eadem enim de eo, qui ab

q) *Galen.* l.c. cap. II. pag. 217.

r) *Ariſtot.* Lib. I. de animal. generat. cap. XIX. et XX.

s) *Plutarch.* Lib.V. de placit. philoſ. cap.V. P. II. pag. 905. *Ἀριστοτέλης καὶ Ζήνων, ὕλην μὲν ὑγρὰν πρόϊεσθαι οἱονεὶ ἀπὸ τῆς συγγυμνασίας ἱδρῶτας, οὐκ μὴν σπερματικόν.* et *Nemeſ.* de Nat. hom. cap. XXV. ed. Oxon. MDCLXXI. 8. pag. 210.

t) *Cenſorin.* de die natal. cap. V. et *Plut.* l. c.

u) *Diogen. Laert.* Lib.VII. Segm. 159. pag. 467.

x) *Plutarch.* Lib.V. de placit. philoſ. cap. V. P. II. pag. 950.

ab iis progreſſi ſunt, Pneumatici medici ſenſerunt. ARCHIGENES eiusque ſectatores, etſi in explicanda quorundam corporis humani affectuum, ut phrenitidis et lethargi natura et curatione ualde haerebant, tamen ab hac, uarie quidem ſermones ſuas torquentes, nihilque ſatis definientes, Stoicorum opinione non diſcedebant [y]). Pneumaticis enim medicis, uti e paucis, quae adhuc reſtant, fragmentis perſpicere licet, omnino eadem, quae Stoicis fuit phyſiologia, omnibus enim his medicis, teſte GALENO [z]), decreta horum philoſophorum placebant; qui ſpiritum [a]), ignem [b]), aut ſpiritum calidum [c]) animum eſſe putarunt. Omnium animantium animos partes animae mundi, ideoque his animis corpora eſſe, et ſubtiliſſima quidem exiſtimarunt [d]). M. ANTONINVS [e]) quoque, particulas e ſanguine exhalantes aëreque refrigeratas animum conſtituere, docuit.

y) *Galen.* Lib. I. de loc. affect. cap. I. P. VII. pag. 384.

z) *Galen.* Lib. III de diff. pulſ. cap. I. P. VIII. pag 63.

a) *Diogen. Laert.* Lib VIII. Segm. 156. pag. 465. *Senec.* epiſt. I., P. III. ed Bipont. pag. 144. *Quid enim aliud eſt animus, quam quodammodo ſe habens ſpiritus.*

b) *Cic.* Lib. I. Ac. Quaeſt. cap. XI. P. X. ed. Bipont. pag. 50.

c) *Diogen. Laert.* Lib. VII. Segm. 156. pag. 465. Πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχήν. *Nemeſ.* de natur. homin. cap. II. ed. Oxon. MDCLXXI. pag. 38. Οἱ μὲν γὰρ Στωϊκοὶ πνεῦμα λέγουσιν ψυχὴν ἔνθερμον καὶ διάπυρον.

d) *Diogen. Laert.* Lib. VII. Segm. 156. pag. 465.

e) *M. Antonin.* Lib. V. XX. et Lib. VI. XV. ed. CHRIST. WOLLE, Lipſ. 1719. pag. 101. 110.

docuit. Foetum, porro aiebant, utero adhuc incluſum, nondum animo eſſe praeditum, ſed uti plantam illi adhaerere, et in illo ali, poſt partum uero ab aëre refrigeratum, animal et animatum fieri [f]). Poſt mortem eum quidem durare, ſed non immortalem eſſe [g]), tamdiu enim, quam mundum, cuius pars animus ſit, exiſtere, eo autem conflagrato, quoque interire [h]) et in materiam igneam, e qua egreſſus ſit, redire [i]). Ipſi autem hac in re diſſentientes, quippe ſapientum tantum animos poſt mortem durare, ſtultorum autem interire [k]) exiſtimabant. Octo, ex illorum opinione, partes animum conſtituunt: quinque, quibus ſentimus; ſexta, qua prolem procreamus; ſeptima, qua uocem emittimus; octaua, qua cogitamus [l]) ſeu ἡγεμονικὸν [m]), uel ea pars,

f) *Antonin.* Lib. X. 26. p. 226. *Plut.* de repugn. Stoicor. P. II p. 1053. Γίνεσθαι τὴν ψυχὴν ὅταν τὸ βρέφος ἀποτεχθῇ. *Tertullian.* de anima. cap. XXV. ed. CAROL. MOREAU Paris. 1658. P. I. pag. 21. *Lact.* Lib. III. cap. IV.

g) *Diogen. Laert.* Lib. VII. Segm. 156. pag. 465. *Cic.* Lib. I. Tuſc. Quaeſt. cap. XXXI. P. X. ed. Bipont. pag. 393. *Stoici autem uſuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus; diu manſuros aiunt animos; ſemper, negant.*

h) *Galen.* hiſt. philoſ. cap. IX. P. II. pag. 31.

i) *Diog. Laert.* Lib. VII. Segm. 156. pag. 465. *Senec.* ad Marc. Conſol. cap. XXVI. ed. Bipont. P. I. pag. 215. *Nos quoque felices animae et aeterna ſortitae, cum Deo uiſum erit iterum iſta moliri, labentibus cunctis, et ipſae parua ruinae ingentis acceſſio, in antiqua elementa uertemur.*

k) *Numen.* apud *Euſeb.* de praep. Euang.

l) *Diogen. Laert.* Lib. VII. Segm. 157. pag. 465. *Stob.* Ecl. phyſ. pag. 209. *Varro* Lib. VIII. de L. L.

m) *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. cap. XI. P. XI. pag. 70.

pars, in qua imaginationes appetitusque gignuntur, quae in corde eſt[n]). Quod ſic, ſatis quidem illepide, probare ſtuduerunt: uox, aiebant, e mente procedit, cuius itaque principalis ſedes ſit in corde, neceſſe eſt[o]). Omnes animi perturbationes pectus adficiunt, ideoque in corde habitare animum oportet[p]). Ab hac potiſſima animi parte, ea nimirum, qua cogitamus, caeterae emiſſae per uniuerſum corpus diffunduntur. Hinc ad uiſum eſt ſpiritus (πνεῦμα ὁρατικὸν) uiſui deſtinatus, a principe animi parte usque ad pupillam[q]) transiens: auditum efficit ſpiritus ab eadem parte in aurem transmigrans[r]). Pneumaticos medicos eandem de principe animi ſede ſententiam fouiſſe, GALENVS[s]) litteris mandauit.

§. VI.

RESPIRATIO.

Pars quaedam aëris per nares tracti, ex ueterum mente, ad cerebrum adſcendit, altera in pulmones deſcendit, a pulmonibus autem ad cor transmigrat.

n) *Diog. Laert.* Lib. VII. Segm. 158. pag. 466.

o) *Galen.* Lib. II. de plac. Hipp. et Plat. cap. V. P. V. pag. 98.

p) *Galen.* l. c.

q) *Galen.* hiſt. philoſ. cap. XXIII. P. II. pag. 47. *Plut.* Lib. IV. de plac. philoſ. cap. XV. P. II. pag. 901.

r) *Plut.* l. c. cap. XVI. P. II. pag. 901.

s) *Galen.* Lib. I. de loc. aff. cap. I. P. VII. pag. 384.

migrat[t]). Quum uita noſtra abſque tracto redditoque ſpiritu conſiſtere non poſſit, ueteres de eo quid in corpore faciat ſpiritus, uarias ſententias habuerunt. Alii, quod GALENVS putabat, reſpirationis uſum in conſeruando innato calore conſiſtere credebant[u]). Alii, ASCLEPIADE duce, reſpirationem cauſam animae eſſe putabant; alii per eam animam corroborari, quod PRAXAGORAS dixit; alii arteriarum impletioni inſeruire, quod ERASISTRATVS caet. [x]); ſed nunc non eſt noſtri, quae ueteres medici de reſpiratione eiusque uſu cogitauerint, enarrare, ſufficit nobis hic annotare, quid unus ex ARCHIGENIS ſectatoribus, ideoque Pneumaticorum doctrinis addictus, quem GALENVS non quidem nominat, uerum laudat, de ea cogitauerit. Is autem, neque inſpiratione aërem corpus ingredi, neque in exſpiratione e corpore egredi exiſtimauit [y]). Quae uero cauſſa huius opinionis fuerit, GALENO de ea ſilente, ignoramus.

§. VII.

PATHOLOGIA.

Abſolutis phyſiologiae fragmentis, ad pathologiam ducimur, in qua Pneumatici medici naturae pene-

t) *Galen.* de cauſ. Perſpirat. cap. I. P.V. pag. 421.
u) *Galen.* de uſu reſpirat. cap.V. P.V. pag. 415
x) *Galen.* de uſu reſpirat. cap. I. P.V. pag. 413.
y) *Galen.* Comment. in Lib. Hipp. de nat. hom. P. III. pag. 114.

penetralia ingreſſi, alta contemplatione cauſas ac euentus morborum indagabantur. Non Empiricorum ac Methodicorum more in ſtatus morboſi corporis humani inueſtigandi, liminibus ſubſtiterunt; ſed Dogmaticorum more, quos aemulabantur, ratiocinati ſunt, et ipſi cogitantes, et ab aliis, quae ex paucis, quae reſtant, fragmentis clare perſpicitur, diſcedentes. Opiniones, quas *de natura*, *cauſis*, et *temporibus morborum*, *de pulſu*, qua in doctrina omnes fere Pneumatici medici celebriores et ab aliis diſcedebant et inter ſe diſentiebant, *de dolore*, *febre*, *febre ſemitertiana*, *epiala*, *typis*, *rigore in febribus*, caet. fouebant et quas GALENVS in diſputationibus cum iis habitis nobis ſeruauit, ex eius libris diligenter collectas et in ordinem quendam redactas, lectoribus nunc exhibebo.

§. VIII.

NATVRA MORBORVM.

Spiritus illius omnia penetrantis, de quo ſupra dictum eſt [z]), affectio, ſecundum Pneumaticorum medicorum mentem, morborum naturam conſtituit [a]). Qua ratione Pneumatici medici, primi, qui principium ratione particeps in morbis actuoſum ſtatuebant, ad hanc opinionem ſint perducti, ex eo facile colligi poteſt, quod ex Stoicorum doctrina, cui erant

z) Sect. II. §. I.

a) *Galen.* Introduct. cap. IX. P. II. pag. 368.

erant addicti, animam mundi omnia, quae in rerum uniuerſitate ſunt, gubernare ac conſeruare, exiſtimauerunt, adeoque illam animae mundi partem, cuius ſedes in corde eſt, animum nempe, corpus gubernare et in ſtatu naturali conſeruare, illo autem offenſo, morbos procreari, putauerunt. Ad quam ſententiam amplectendam, eos hanc ob cauſam eo facilius impulſos eſſe, ſimile uero eſt, quod, uti omnes omnium temporum medici, non φαινόμενοις acquieſcentes, ſed de iis meditantes, non humidas tantum, ſed ſolidas quoque corporis humani partes ad morbos procreandos conferre, bene perſpexiſſe uidentur. Ideoque cum illis conſentiebant medicis, qui in naturae locum Archaeum, Animum, aut quoduis aliud in morbis actuoſum principium ſubſtituebant, quod HIPPOCRATES iam et cognouit et ἐνορμῶν appellauit, recentiores autem medici uis uitalis nomine inſignire ſolent.

Κράσεως quoque elementorum ſtatus poſuerunt, a quibus et ſanitatem pendere et morbos gigni putabant; κράσεως nimirum ſtatum calidum humido iunctum, ſanitati nullum adferre detrimentum nulloque in morbo inueniri, ſed potius, quia morti, quod mox demonſtrabimus, eſt contrarius, uitam ac ſanitatem efficere, docebant. Statum autem calidum ſicco admixtum omnino morbos procreare, uti febres, porro frigidum cum humido aquarum in

corporis cauitatibus collectionem et frigidum cum ſicco melancholiam producere ſtatuebant. Morte omnium animalium corpora ad ſtatum ſiccum et frigidum redigi opinabantur, qua de re mortuos ἀλίβαντας uocare ſolebant, quippe qui nihil humidi in ſe continerent; utpote tum caloris abolitione eo exhauſtos, tum frigore rigentes [b]). Tales malae mixtionis ſtatus octo poſuerunt; quatuor ſimplices, ſtatum frigidum nimirum, calidum, humidum et ſiccum, et quatuor ex iis compoſitos [c]).

Morborum συμπάθειαν quoque non praetermittebant, ſed ARCHIGENES docebat, actiones quasdam laedi, illaeſa ea corporis particula, quae ipſis inſeruit; uti ſuffuſionem exempli cauſſa adfert, quae a uaporibus fuliginoſis in uentriculo contentis et ad cerebrum delatis procreatur [d]), et uertiginem, quae quoque nonnunquam ex iis partibus, quae circa hypochondria ſunt, ortum ducit [e]).

§. IX.

CAVSA MORBORVM.

Cauſa, ſecundum ATHENAEVM, eſt id, quod facit, hanc autem ille occaſionalem ſeu euidentem uocauit [f]). Quod morbos procreat, nomine cauſae prae-

b) *Galen* Lib I. de Element. cap. III. P. III. pag. 36.

c) *Galen* Lib. III. de loc. aff. cap. V. P.VII. pag. 428.

d) *Galen.* Lib. II. de loc. aff. cap. I. P.VII. p. 424.

e) *Galen.* Lib. II. l. c. cap. XII. P.VII. pag. 447.

f) *Galen.* definit. Medic. Defin. CLV. P. II. pag. 251. Αἴτιόν ἐστι τὸ ποιοῦν· τοῦτο δέ ἐστι τὸ προκαταρκτικόν.

praediſponentis (προηγουμένη) ATHENAEVS inſigniuit[g]); ARCHIGENES denique cauſam pertranſientem (διοδεῦον)[h]) conſtituebat, quae non aſſiduum in parte, quam aſſicit, procreat morbum, ſed momentaneam tantum doloris ſenſationem, mox iterum ceſſantem, quamque ille cum umbra morbi (σκιᾷ πάθους) comparat. Quum tam minutiſſimas cauſas non neglexerint Pneumatici medici, facile poteſt intelligi, illos non, quod duae illius aeui celeberrimae ſectae, Empiricorum nimirum et Methodicorum fecerunt, cauſarum abditarum ſcrutinium parui feciſſe; medici enim fuerunt non experientiam tantum, ſed rationem quoque in arte adhibentes.

§. X.

MORBORVM TEMPORA.

Morborum tempora quoque conſiderabant, initium nempe, ſtatum, decrementum et finem; acceſſionem, remiſſionem, intermiſſionem, caet. Illud temporis ſpatium, quod a primo morbi inſultu ad ſtatum usque intercedit, et incrementum uocatur, ARCHIGENES omiſit, qui morborum tempora in prima et maxima (εἰς τοὺς πρώτους τε καὶ μεγίστους καιροὺς) diuidebat[i]) ideoque poſt principium ſtatim uigorem

g) *Galen.* Comment. II. in Lib. Hipp. de nat. hom. P. III. pag. 129. ἃ ποιοῦντα τὰς νόσους.

h) *Galen.* Lib. I. de loc. affect. cap. II. P. VII. pag. 384.

i) *Galen.* de morbor. temporib. cap. I. P. VII. pag. 293.

gorem ſeu ſtatum ponebat, quam ob rem merito a GALENO uituperatur. Quae hic omittendo, alio loco addendo peccauit, declinationis morborum tempus iterum in duo tempora diuidens, ratione maioris uel minoris gradus inter ſe differentia, et poſtremum declinationis tempus, remiſſionem nominans [k]). Duos, uti ſupra iam annotauimus [l]), ſcripſit libros *de morborum temporibus*, in quibus de iis proprias ſuas opiniones protulit, ab HIPPOCRATIS aliorumque medicorum ſententiis ualde diſcedentes. Quum autem ii interierint, nil certi de iis, quae cogitauerit nobis ſtatuere licet, ſufficitque tantum GALENI iudicium nimis, ut uidetur, rigoroſum de his ARCHIGENIS libris adſcribere: *Duplici modo,* inquit, *ille peccat, tum quod neque utilia profert, tum quod copioſis inutilium rerum nugis librorum ſuorum lectores opprimat* [m]).

§. XI.

PVLSVS.

Quum ueteres medici ſanguinis motum, circulationem, uires eum pellentes et arterias eum continentes ignorarint, non mirandum eſt, Pneumaticos medicos in pulſu definiendo ualde haeſiſſe. Omnes fere Pneumatici medici, quorum aeuo medicos inprimis haec de pulſibus doctrina occupaſſe uidetur, de

k) *Galen.* l. c. cap. V. pag. 298.

l) Sect. I. §. III.

m) *Galen.* de tot. morb. temporib. cap. VIII. P. VII. pag. 34.

de pulſu libros confecerunt, et unusquisque eorum ſuas de eo protulit definitiones opinionesque. Conditor ſectae ATHENAEVS, pulſum eſſe, definiebat, motum per diſtentionem naturalem et inuoluntariam caloris, in arteriis et corde contenti, ex ſe ipſo et in ſe ipſum mouentis, qui unaque cor et arterias moueat; ſiue pulſum eſſe diſtentionem et contractionem cum perſpiratu (διάπνοιαν) cordis et arteriarum [n]). AGATHINVS: Cordis et arteriarum motum, pulſum eſſe docebat. Senſum quoque illum pulſantem, quem aegrotantes in inflammationibus percipiunt, pulſum nominauit. Palpitationem (παλμὸς) in eo a pulſu differre dixit, quod ea ſit abditarum arteriarum motus [o]). ARCHIGENES a praeceptore AGATHINO paullulum diſcedens: Pulſum eſſe cordis et arteriarum diſtentionem ac contractionem naturalem dixit [p]). MAGNVS denique, pulſum eſſe, docuit, non diſtentionem ſolum et contractionem, ſed etiam inflationem (διόγκωσιν) et collapſum (συνίζησιν) ſenſibilem cordis eorumque, quae in cordis modum afficiuntur [q]).

Communis ueterum opinio erat, inſtrumenta pulſui inſeruientia, cor nimirum et uaſa ex eo ex-

 euntia,

n) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XIV. P. VIII. pag. 100.

o) *Galen.* l. c. cap. XI. pag. 98. Ἡ τῶν ὀυ ἐν προχείρως τεταμένων ἀρτηριῶν κίνησις.

p) *Galen.* l. c. cap. XII. pag. 99.

q) *Galen.* l. c. cap. XIII. pag. 100.

euntia, nomine arteriarum comprehenſa, dilatando ſeſe ac contrahendo, pulſum conſtituere. GALENVS in diaſtole, aëream quandam ſubſtantiam attrahi, in ſyſtole uero, fuliginoſum excrementum ex humorum, deuſtione in toto animali corpore contractum, expelli r), credidit. Pneumatici medici et inprimis ARCHIGENES contrarium affirmabant; ſubſtantiam ſcilicet aëream, quam GALENVS per diaſtolen attrahi putauerat, per ſyſtolen attrahi et in hac arteriam illa impleri putabant, in diaſtole uero, dum dilatatur arteria, hoc fuliginoſum excrementum excerni et arteriam uacuari s). Quam ſententiam ARCHIGENES tali modo probare ſtuduit: ſi per os uel nares ſpiritum trahimus, id fit ea contrahendo, ſi uero illum reddimus, eorum fit dilatatio. GALENVS autem huic ab ARCHIGENE prolatae opinioni contradicit, eumque, quum naribus et labris cum arteriis nulla ſit coniunctio, erraſſe docet t).

Octo ARCHIGENES qualitates pulſui tribuit: magnitudinem, uehementiam, celeritatem, crebritatem, plenitudinem, ordinem uel perturbationem ordinis, aequalitatem, uel inaequalitatem, rhythmum u). Hae qualitates διηχημέναι ab illo uocantur, quid autem

r) *Galen.* de uſu pulſ. cap. III. P. V. pag. 437.

s) *Galen.* de uſu pulſ. cap. IV. P. V. pag. 432. *Eiusd.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. II. P. VIII. pag. 86. et *Eiusd.* Lib. IV. de Praeſag. ex pulſ. cap. XII. P. VIII. pag. 307.

t) *Galen.* de uſu pulſ. cap. IV. P. V. pag. 437.

u) *Galen.* Lib. II. de diff. pulſ. cap. IV. P. VIII. pag. 42.

tem cum his qualitatibus διηχημέναις ARCHIGENES uoluerit, GALENVS hac qualitatum diſtinctione minime contentus, ipſe ignorat[x]), niſi forte hac qualitatum nomine idem dicere uoluerit, quod peruulgatum et ab omnibus creditum (τὸ παρὰ πᾶσι λεγομένον τε καὶ πεπιστευμένον) alias dicitur. Singulis his qualitatibus, ex ARCHIGENIS mente, commune genus eſt, nempe magnitudini et paruitati commune genus eſt magnitudo; uehementiae ac remiſſioni uehementia; plenitudini ac uacuitati, plenitudo; duritiei ac mollitiei, durities; celeritati ac tarditati, celeritas; crebritati et raritati, crebritas: ordinem uero et aequalitatem, quod iam GALENVS notauit, ad commune genus non redegit[y]). His ab ARCHIGENE conſtitutis generibus, iterum ſpecies ſunt; differentiae enim pulſuum illi erant genericae et ſpecificae[z]). Vehementiae u. c. ſpecies ſunt: pulſus uehemens, languidus et medius[a]). Pulſus uehemens, cuius cauſa, uti ATHENAEVS docet[b]), eſt uitalis contentionis uis, ſecundum MAGNVM, qui ob hanc pulſus uehementis definitionem, nec non ob cauſam pulſus celeris, controuerſias cum AR-

CHI-

x) *Galen.* l. c. pag. 43. Ἐγὼ δέ τι μὲν ἐστι τὸ διηχημέναι, ἀκριβῶς συμβαλλεῖν οὐ δύναμαι, οὐδὲ γὰρ εὗρον τοὔνομα παρά τινι τῶν Ἑλλήνων.

y) *Galen.* l. c. cap. VI. pag. 48.

z) *Galen.* l. c. cap. X. pag. 58.

a) *Galen.* l. c. cap. VI. pag. 47.

b) *Galen.* Lib. III. l. c. cap. II. pag. 64. τοῦ ζωτικοῦ τόνου τὴν ἰσχύν.

CHIGENE habuit c), eſt is, qui inſignem habet magnitudinem, plenitudinem uelociterque digitis occurrit d) ſitque ui ictus e): ARCHIGENES autem, pulſum uehementem eſſe dixit, qui maiorem contentionem haberet motus et ſtridulus (ῥοιζώδης) eſſet: ὅ, τί ποτ' αὐτῷ βούλεται, μὰ τοὺς Θεοὺς οὐκ ἀκριβῶς συνίημι, GALENVS omni iure addit, niſi uim ictus ſub ſtridulo pulſu intelligat f). Vehementis pulſus ARCHIGENES alias adhuc poſuit differentias; pulſus nimirum obſcuri, in quo remiſſus occurrit ictus, et lenis. Aliam pulſus uehementis differentiam conſtituebat ex illius mente, pulſus non remiſſus quidem, ſed quaſi impeditus et intro uergente praeditus grauitate, repreſſus et demerſus; aliam quoque differentiam efficit pulſus ictu continente, humidius impellente tactum pulſans (ὑγρότερον ἐξωθοῦσα τὴν ἀφὴν) maximeque a cibo recente (τροφῆς μάλιςα νεαρᾶς) ortus caet. g). Pulſus languidus ſecundum eum, is eſt, qui remiſſam habet contentionem (τόνον) et ictum non incitatum, differentiam illius is, qui grauis quidem, caeterum remiſſus eſt, effecit h).

Diui-

c) *Galen.* l. c. cap. I. pag. 63.

d) *Galen.* l. c. cap. I. pag. 63.

e) *Galen.* l. c. cap. II. pag. 65.

f) *Galen.* l. c. cap. II. pag. 65.

g) *Galen.* Lib. III. l. c. cap. III. pag. 66. Non poſſum non, quin GALENI ſententiam de his pulſuum differentiis, ab ARCHIGENE prolatis hic adponam, cui ex animo adſentio: Ταῦτ', ὦ πρὸς Θεῶν, πότερον θαυματά τὶς, ἢ ληρήματα φήσει;

h) *Galen.* l. c.

Diuidebat porro ARCHIGENES pulſum in longum, latum et altum. Longus illi eſt, quum arteria longitudine diſtenditur inſigni, ſed latitudine anguſta et humilius ſublata eſt (ταπεινότερον εγειρομένης); latum uocat, ſi arteriae diſtentio lata, ſed humilis et parua longitudine occurrit; altum, ubi arteria ualde attollitur, anguſta tamen, et latitudine breuis eſt i).

Pulſus plenus, ex AGATHINI mente, eſt, qui tenſum et contentum perpetuo ſpiritum repreſentat; uacuus habet ſpiritum diffluentem et in reniſu euaneſcentem k). ARCHIGENES aliam de pleno et uacuo, ſed magis obſcuriorem dedit definitionem l); quam autem, quum GALENVS non intellexerit, certe non alius mortalium, niſi Oedipus ſit, intelligere poterit. Pulſum formicantem, ARCHIGENES docuit, e paruitate, imbecillitate, crebritate et celeritate conſtare m). Multas adhuc alias pulſuum differentias ARCHIGENES poſuit, quarum nomina ualde ſingularia ac paene ridicula hic adiiciemus: GALENVS enim e libris, quos ARCHIGENES de pulſibus

i) *Galen.* Lib. II. de diff. pulſ. cap. VII. P. VIII. pag. 51.

k) *Galen.* Lib. IV. de dignoſc. pulſ. cap. II. P. VIII pag. 158. Παρακολουθεῖ γὰρ (Αγαθῖνος) ἐν ταῖς ἐπισκέψεσι πληρότητος, καὶ κενότητος σφυγμοῦ, τοῦ μὲν πλήρους τεταμένον, καὶ ἐξερεισικὸν δι' ὅλου τὸ πνεῦμα περαςάντος, τοῦ δὲ κενοῦ διαῤῥέον, καὶ ταῖς ἀντιβάσεσιν ἐναφανιζόμενον, ὡς ῥήξει τινὸς ὑδατίνης πομφόλυγος ἐοικέναι.

l) *Galen.* l. c.

m) *Galen.* Lib. II. l. c. cap. I. pag. 122.

bus confecit, *pulſum praecipitatum*, *ſtridentem*, *humidum apparentem*, *ſoporoſum*, *bombantem*, *ſtupefactum*, *reſolutum*, *intentum*, *infirmum*, *congelatum*, *difflatum*, *cubitis propellentem*, *occultatum*, *expulſorem*, *grauem*, *crepentem*, *madidum*, *congregatum*, *diſgregatum*, *languefcentem*, *ſuffuratum*, *lancinoſum*, *exagitatum*, cet. [n]) refert. Sed

Ohe! iam ſatis eſt!

Qua ratione uiri caeteroquin optimi et ualde laudati, tam abſurda et ridicula de pulſuum diſtinctionibus, ac differentiis protulerint, non uideo, niſi credendum eſt, eos omnia illuſtrare et explicare uoluiſſe, et CHRYSIPPVM proauum ſectae, cui adhaerebant, uti GALENVS eum nominat, aemulantes, non de re, ſed de nominibus tantum pugnare fuiſſe ſolitos [o]). GALENVS omnium Pneumaticorum medicorum et inprimis ARCHIGENIS de pulſibus doctrinas in libro: *de differentiis pulſuum* examinauit, easque quantum fieri potuit, interpretatus eſt, eam inprimis ob cauſam, ut eas ipſas doctrinas falſas eſſe doceret atque erroneas [p]). Inueſtigatio-

n) *Galen.* Lib. III. de diff. pulſ. cap. IV. P. VIII. pag. 70.

o) *Galen.* l. c. cap. I. pag. 63. *Ἀρέσκονται γὰρ οὗτοι πάντες οἱ πνευματικοὶ καλούμενοι, τοῖς ἀπὸ τῆς στοᾶς δόγμασιν· ὥστ᾽ ἐπεί Χρύσιππος αὐτούς εἴθισεν ἀμφισβητεῖν περὶ τῶν κατὰ τὴν φιλοσοφίαν ὀνομάτων, οὐδ᾽ αὐτοὶ περὶ τῶν κατὰ τὴν ἰατρικὴν ταῦτα ποιεῖν ὀκνοῦσι.*

p) Tertius GALENI *de differentiis pulſuum* liber hanc habet inſcriptionem: *Τῷ παραδείγματι τοῦ σφοδροῦ τε καὶ ἀμυδροῦ, πλήρους καὶ κενοῦ, σκληροῦ καὶ μαλακοῦ σφυγμοῦ, ἡ τοῦ Ἀρχιγέ-*

tionem cauſarum, differentias pulſuum excitantium, quam GALENVS primus inſtituit et in libris: *de cauſis pulſuum* ſermonem fecit, neglexiſſe quidem q), ea autem, quae uarii pulſus et de praeſente morborum ſtatu, et de euentu nos docent, non omnino parui feciſſe uidentur. Exemplum eſt, pulſus celeris ſignum, quem magnopere periculoſum eſſe, quem in ſyncope percipi, quem periculum in peripneumonia portendere et febres, in quibus obſtructae uel compreſſae ſunt principes arteriae, comitare docebant r). Doctrinam quali modo pulſus ſenſuum ope dignoſcendi ſint, ARCHIGENES primus, teſte GALENO, leuiter quidem, attigit, ante eum enim nec ullus philoſophorum nec medicorum eam tetigerat s).

§. XII.

DOLOR.

Dolor moleſtus ſenſus eſt, qui ſecundum GALENVM t) ab affectis neruis pendet. Quomodo uero Pneumatici medici, imprimis ARCHIGENES, ſtrenuus huius ſectae aſſecla, cuius de dolore doctrinae fragmenta adhuc extant u), dolorem definierint, non

χιγένους καὶ τῶν ἄλλων πνευματικῶν ἐξελέγχεται πραγματεία. Et paſſim in his et in aliis de pulſibus libris GALENVS illorum opiniones refutauit.

q) *Galen.* Lib. II. de diff. pulſ. cap. IV. P. VIII. pag. 68.

r) *Galen.* Lib. II. de praeſagit. ex pulſ. cap. V. P. VIII. pag. 263.

s) *Galen.* Lib. I. de dignot. pulſ. cap. I. P. VIII. pag. 103.

t) *Galen.* Lib. II. de loc. aff. cap. II. P. VII. pag. 402.

u) *Galen.* l. c. cap. II. VI. VIII. IX.

non ſatis patet. E differentiis dolorum, quas ARCHIGENES poſuit, apparere tantum uidetur, illos quemcunque corporis ſenſum, et moleſtum et gratum dolorem nominaſſe. ARCHIGENES multas, uti pnlſuum, ſic quoque dolorum ſtatuit differentias, et quidem hanc ob cauſam, quod ex iis, quae partes corporis morbo ſint affectae, perſpici poſſe exiſtimauit [x]), quas omnes nunc recenſere nec uolumus nec poſſumus, quum, quod ſupra iam annotauimus, omnes, quos ſcripſit, libri, adeoque et illi, qui hanc dolorum doctrinam continebant, ſunt deperditi.

Inter dolorum, quas ſtatuebat, differentias, dolor ſtupidus eſt nominandus, qui ſecundum ARCHIGENIS mentem, in neruis fit; oritur enim, ſi nerui contorti (συστρεφόμενα) diſtenduntur et indurantur [y]). Quum autem omnis dolor neruorum ope percipitur, ualde ille errauit, quod hanc tantum doloris ſpeciem a neruis ſentiri, exiſtimauit. Saporum genera quoque dolorum nominibus inſigniuit, et ſic dolorem tractorium (ὅλκιμον), auſterum, dulcem, leniter acutum, ſalſum, tenacem, rigidum, adſtringentem, ſtabiliuit [z]). Dolor ulceroſus (ἑλκώδης) ARCHIGENIS, ſenſus eſt, qualis in partibus ulceroſis percipi ſolet; tenuiter acutus (ἰσχνῶς ὀξύς), qualis ab

x) *Galen.* l. c. a cap. II. pag. 401.
y) *Galen.* Lib. II. de loc. aff. cap. II. P. VII. pag. 402.
z) *Galen.* l. c. cap. VI. pag. 407.

ab acus punctu procreatur; dulcior (γλυκύτερος) qui imbecillior eſt praecedente, et dolor pruriginem inducens ſuperficiemque afficiens. Dolor punctorius in profundo eſt (τοῦ βάθους ἐςίν); infixus in ſinu uicino (κόλπου πλησιάζοντος); ſinus autem uoce corporis cauitates ſignificat a); lacerans in ſinibus conſiſtit; ſtimulans non in profundo eſt. Nerui afficiuntur, dolore infixo, anguſtiae pleno, et minime diffuſo, hisque nominibus dolores circumſcriptos uult intelligi. Dolores qui in membranis ſentiuntur ſunt in latum diſcurrentes et *haemodiae* b) quid ſimile habentes. Dolores membranarum oſſibus adiacentium profundi ſunt; uenae dolores graues, detrahentes et infarctibus aequales; muſculi fuſos et laxos producunt, quippe qui minus intenduntur c).

E dolorum differentiis, partium affectarum dignotionem ARCHIGENES explicuit; dolorem enim tractorium (ὅλκιμος) d), inhaerentem, torpidum, atque

a) *Galen.* l. c. cap. VIII. pag. 415. Κοιλότης γὰρ τίς ἐςιν ὁ κόλπος.

b) Ἁιμωδία *eſt dentium ſtupor aut torpor, ex acidis acerbisue cibis, aliquando etiam ex uiſione aut auditione procedens, cum uidelicet ea a quibus animus ac corpus pariter abhorret uidemus aut audimus, uelut cum ictus aut ruinas, aut praecipitia contuemur, ac limarum aut ſerrarum attritus exaudimus.* ANVT. FOESII Oeconom. Hipp. Frcf. 1588. pag. 13.

c) *Galen.* Lib. II. de loc. aff. cap. VI. P. VII. pag. 407.

c) *Galen.* l. c. cap. VIII. pag. 408 ſeqq.

d) GALENVS ipſe de ſignificatione uerbi ὅλκιμος dubitat. Latino uerbo *glutinoſus* haec graeca uox reſpondet. Secundum nonnullorum e ſecta Pneumaticorum mentem, dolorem indura- tum,

que atrocius urgentem, hepatis affecti ſignum eſſe docebat: ſplenis dolorem non acutum eſſe ſed grauem ac diſtenſum, ac ſenſui qui ab impreſſione percipitur ſimilem; renum dolores auſteros eſſe et cum permanente ſtrictione pungentes; ueſicam doloribus uehementer adſtringentibus atque tenſionibus punctoriis; uterum autem doloribus acutis, emicantibus, pungentibus, diſtendentibus, torminatim incidentibus affici [e]). In ſphacelode hemicrania, arteria primo affecta, dolorem pulſantem ac prorumpentem (διαΐσσοντα) [f]) inducit, eoque formam rotundam adipiſcitur ac horrorem excitat [g]). Merito autem GALENVS illum uirum, caeteroquin non ignobilem, ob hanc dolorum diuiſionem, tam obſcuram et ſubtilem uituperat [h]).

§. XIII.

FEBRIS.

Quam de febre fouebant Pneumatici medici doctrinam, teſte GALENO, maxima ex parte cum iis in ea conſentiente, optima fuit [i]). Omnem febrem

tum, inflammatum, iugulum detrahens, diuturnum, urgentem, uehementem ſignificat. *Galen.* l. c. cap. IX. pag. 416.

e) *Galen.* Lib. II. de loc. aff. cap. IX. pag. 415.

f) *Galen.* l. c. cap. VIII. pag. 410. Ὁ δὲ διαΐσσων πόνος ἐστὶν ὅταν ὥσπερ ἀπὸ ῥίζης ἀρχόμενος τοῦ πρωτοπαθοῦντος μορίου, φέρηται ταχέως ἐις τὰ παρακείμενα.

g) *Galen.* l. c.

h) *Galen.* l. c. paſſim.

i) *Galen.* Lib. I. de diff. febr. cap. VII. P. VII. pag. 114. Κινδυνεύει γὰρ

brem ex humorum putredine conſiſtere putabant, diarias quoque, quas tamen GALENVS excipit. Signum omnium febrium inſeparabile ac firmum, pulſum durum eſſe, ARCHIGENES ſtatuebat [k]). Febrem ſemitertianam (ἡμιτριταίον) quae, ex GALENI mente, e tertiana et quotidiana continua eſt compoſita [l]), AGATHINVS omnem febrem tertianam productam appellauit [m]), eamque cum tertiana eiusdem generis eſſe, tantum quoad acceſſionis magnitudinem diuerſam putabat [n]). Febrem ſemitertianam iterum diuidebat in magnam, mediam et paruam. Magna erat, cuius exacerbatio ultra tria interualla, ſeu horas quadraginta octo perduraret, quae febri continuae propinqua eſſet, raro tamen occurreret; media erat, tempore acceſſionis remiſſionis tempori aequali exiſtente, quae itaque per horas triginta ſex perduraret; paruam uocabat, cuius acceſſionis tempus breuius erat tempore remiſſionis, et quae intra quatuor et uiginti horas abſolueretur [o]). Omnem

 quo-

γὰρ οὖν δοξάζειν ὧδε καὶ ὁ τῶν ἀπ' Ἀθηναίου χορὸς ἄνδρες οὐχὶ φαυλότατοι τ' ἄλλα τῆς τέχνης, καὶ οὐχ ἥκιστα πυρετῶν ἐπιστήμης, περὶ ὧν κἀγὼ τό γε πλεῖστον αὐτοῖς σύμφημι, πλὴν ἕν τι παρίημι, τοὺς ἐφημέρους ὀνομαζομένους πυρετούς.

k) *Galen.* de marcore cap. V. P. VII pag. 185. Lib. I. de diff. febr. cap. IX. P. VII. pag. 138. et Lib. III. de praeſag. ex pulſ. cap. V. P. VIII. pag. 288.

l) *Galen.* Lib. II. de diff. febr. cap. VII. et VIII. P. VII. p. 133 ſeqq.

m) *Galen.* l. c. cap. IX. pag. 138.

n) *Galen.* l. c.

o) *Galen.* Comment. in Lib. VII. Hipp. Epidem. P. IX. pag. 410. et *Eiusd.* de typis cap. IV. P. VII. pag. 154.

quoque febrem ex propriis ſignis cognoſcere ſtudebat p). ARCHIGENES autem febrem ſemitertianam e tertiana et quotidiana eſſe mixtam, qua in mixtione quandoque febrem tertianam, quandoque quotidianam exuperare q); et epialam eam eſſe exiſtimauit, quum ſimul febricitant ac rigent aegroti et utrumque in eodem tempore in quauis corporis parte ſentiunt r). Ad rigorem in febribus, quem ATHENAEVS, ex PLATONIS ſententia, affectum frigidum a cauſa frigida (caeteros enim omnes, qui de cauſis rigoris ſcripſerunt, et medicos et philoſophos, ille refutauit) s) ortum ducentem definiebat t), ſubleuandum ARCHIGENES olei multi calidi ſolium commendauit u). In febrium ardentium uigore idem auctor, non faciem tantum, ſed pectus quoque fouendum x), et nitrum in aqua eliquatum porrigendum eſſe, docebat y). Geſtationem et frictionem z), ad febrem tollendum, Pneumatici quoque et plura alia remedia adhibuerunt, quae PAVLVS AEGINETA, ORIBASIVS, AETIVS aliique nobis ſeruarunt.

§. XIV.

p) *Galen.* aduerſ. eos, qui de typis ſcripſ. cap. III. P. VII. pag. 161.
q) *Galen.* Lib. II. de diff. febr. cap. VIII. P. VII. pag. 138.
r) *Galen.* Lib. II. de diff. febr. cap. VI. P. VII. pag. 132.
s) *Galen.* Lib. II. de Symptom. cauſ. cap. III. P. VII. pag. 69.
t) *Galen.* de Tremore cap. VI. P. VII. pag. 208.
u) *Paul. Aeginet.* Lib. II. cap. XLVI. Coll. Steph. pag. 156.
x) *Aet.* Tetrab. I. Serm. III. cap. CLXX. Coll. Steph. pag. 156.
y) *Oribaſ.* Lib. IX. Medicinal. Coll. cap. XXIII. Coll. Steph. p 376.
z) *Oribaſ.* Lib. VI. Medicin. Collect. cap. XXV. et *Eiusd.* Lib. VI. Synopſ. cap. XXXII. Coll. Steph. pag. 296. 99.

§. XIV.

MEDICAMENTA.

Pauca nobis fragmenta e Pneumaticorum ſcriptis ſupereſſe, ſupra iam dixi: eorumque, quae nobis ſuperſunt, medicorum longe, proh dolor! maxima pars rudem inconditamque medicamentorum farraginem continet, quae ad doctrinas iis proprias illuſtrandas uix multum conferre poterit. Erant autem illa, uti mos fuit medicis illius aeui, non concinna quidem, ſed e uariis ac multis mixta et compoſita. Saepe tamen ſimpliciſſimam et efficaciſſimam medendi methodum adhibuerunt, quod Tetani e uulneribus orti a), aliorumque morborum curationes ab iis propoſitae probant. Quaedam illorum medicamentorum plurimam famam ſunt adepta, uti Hiera, ſeu medicamentum ſacrum ARCHIGENIS, ab illo ad caput, ſtomachum, omnisque generis humores purgandos laudatum b), et ad uitioſos humores, melancholiam caet. a GALENO commendatum c). Conſtat autem illa e *Colocynthidis*, *ſquillae aſſatae*, *euphorbii*, *gentianae*, *opopanacis*, *paſtillorum*

a) *Aet.* Tetrab. II. Serm. II. cap. XXXIX. ed. Graec. Venet. apud Ald. 1534. pag. 170. ARCHIGENES aegro a tetano e uulnere affecto, e cuius libris haec tetani deſcriptio ac curatio AETIVS nobis ſeruauit, uenam, ſi opus erat ſecuit, alicam cum aqua mulſa illi porrexit, et ex aqua et oleo tepido balneum parauit, in quo aegrum ad umbilicum usque inſidere et unguentis oleoſis inungi iuſſit.

b) *Nic. Myrepſ.* Sect. XXIII. cap. XVIII. et XIX. Coll. Steph. p. 648.

c) *Galen.* de Melanchol. cap. II. P. X. pag. 500.

lorum theriacorum, *ſingulorum drachmis quinque*, *ſtichadis drachmis ſex* et e ſexcentis adhuc aliis [d]). Venae ſectionem, nec ut ERASISTRATVS, eiusque aſſeclae auerſati ſunt [e]), nec in omnibus morbis, uti temporibus eorum mos erat [f]), adhibuerunt, ſed in iis tantum morbis, in quibus ſanguinis copia circumcindenda erat, ut in pleuritide [g]), angina [h]) caet.; ſemper tamen non ad animi deliquium usque uitalem illum laticem e uenis emitti iubebant. Balnea frigida ac calida commendabant [i]); ad capitis dolorem ARCHIGENES amuleta et uerbenam, coronae modo impoſitam, laudabat [k]); helleborum inter remedia magni fecerunt, ac multa de eo litteris mandarunt [l]); lac muliebre tabi medendae adhibuerunt [m]).

Διαι-

d) Tres ARCHIGENIS Hierae formulae in NIC. MYREPSI *de compoſitione medicamentorum* libris occurrunt, et alia ARCHIGENIS hierae formula in PAVLI AEGINETAE Lib. VII. cap. VIII. Coll. Steph. pag. 652. exſtat.

e) *Galen.* de V. S. aduerſ. Eraſtiſt. cap. V. P. X. pag. 358.

f) *Cor. Celſ.* Lib. II. cap. X. ed. LEON. TARGAE. L. B. 1785. pag. 61. *Sanguinem, inciſa uena, mitti nouum non eſt; ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non mittatur, nouum eſt.*

g) *Aet.* Tetrab. II. Serm IV. cap. LXVIII. Coll. Steph. pag. 432.

h) *Aet* Tetrab. II. Serm. IV. cap. XLVII. Coll. Steph. pag. 401.

i) *Oribaſ.* Lib. VIII. Medic. Collect cap. II. Coll. Steph. pag. 336.

k) *Galen.* Lib. I. de remed. parab. cap. I. P. X. pag. 117.

l) *Oribaſ.* Lib. VIII. Medic. Collect. cap. III. Coll. Steph. pag. 337. et paſſim.

m) *Galen.* de probis prauisque alimentor. ſuccis. P. VI. pag. 426. et Lib. VII. de Method. Med. cap. VI. P. X. pag. 160.

Διαιτητικὴν, quae uictu morbos curat, non parui fecerunt [n]), et alimentorum, quae ſalubria et quae noxia ſint, inueſtigationi operam dederunt, et qualitates illorum, et bonas, et noxias, uti e paucis, quae adhuc reſtant, ſpeciminibus, v. c. de tritico, pane, hordeo caet. ab ATHENAEO prolatis [o]), perſpicere licet, bene deſcripſerunt.

§. XV.

QVID PNEVMATICI MEDICI AD MEDICINAE INCREMENTVM CONTVLERINT.

Doctrinis ſectae Pneumaticorum nunc expoſitis, indolem horum uirorum, et quid ad medicinae incrementum contulerint inueſtigare, ac paucis delineare nobis licebit. Omnes Pneumatici medici, ſectae philoſophorum, cui addicti erant, notam prae ſe tulerunt, eaque e doctrinis ac moribus eorum effulget. Hinc ſubtilitas eorum in definiendo ac diſtinguendo [p]), in quibus ſaepe abſurda ac obſcura proferebant, cuius rei definitiones ac diuiſiones pulſuum ac dolorum exemplum praebent; quam enim exprobrationem CICERO aduerſus ZENONEM protulerat, *quem*, dixit, *non tam rerum inuentorem fuiſſe,*

n) *Aet.* Tetrab. III. Serm. III. cap. XXX. Coll. Steph. pag. 572.

o) *Oribaſ.* Lib. I. Med. Coll. cap. II. IX. XI.

p) *Cic.* Lib. III. de Finib. cap. I. ed. Bipont. P. X. pag 231. *Stoicorum autem non ignoras, quam ſit ſubtile uel ſpinoſam potius, diſſerendi genus.*

fuiſſe, qaam nouorum uerborum q), eandem quoque GALENVS contra Pneumaticos profert medicos r). Maxima pertinacia in diſputationibus cum aliis medicis utebantur, et nugas ac ridicula defendere, cedere neſcii, uoluerunt, uti e nonnullis a GALENO cum iis habitis controuerſiis perſpici poteſt s); potius enim urbem, quam unum tantum dogma huius ſectae delendum t), ſtatuebant. Artem ſalutarem multis nouis definitionibus ac nominibus auxerunt, magis ſane ideo cenſendi, quam laudandi. Non autem uitioſa tantum et arti noxae futura protulerunt, ſed alia quoque utiliora et arti amplificandae idonea. Primi erant, qui quoddam philoſophorum ſyſtema cum medicina coniungentes, naturae φαινόμενα, quae in corpore ſano et a morbis affecto occurrere ſolent, doctrinis huius philoſophiae explicuerunt. Primo principium quoddam, ratione particeps, et in ſano corporis ſtatu, et in morbis actuoſum poſuerunt, quae autem doctrina, ſecta eorum deleta, quoque exſtincta eſt, usque dum ſaeculo elapſo refloreſceret, quo IOANNES BAPTISTA VAN HELMONT

q) *Cic.* l. c. cap. II. pag. 231.

r) *Galen.* Lib. III. de diff. pulſ. cap. I. P. VIII. pag. 63. et aliis locis.

s) V g. quam de pulſuum differentiis GALENVS habuit controuerſiam cum ſene nonagenario e Pneumaticorum ſecta Lib. III. *de diff. pulſ.* cap. III. P. VIII. pag. 67. et illa de elementorum doctrina cum alio Pneumaticorum habita, qui GALENVM decimum nouum annum agentem in principiis huius ſectae erudiuit, Lib. I. *de Element.* cap. VIII. P. III. pag. 16. extat.

t) *Galen.* Lib. III. de loc. aff. cap. V. P. III. pag. 431.

MONT errores Galenicos de quatuor ſanguinis humoribus refutauit, et eorum loco Archaeum ſuum, quo nomine uitale principium ornauit, in medicinam introducebat. Poſt eum SEBASTIANVS WIRDIG: Coelos, aërem et atomos ſpiritus eſſe, et uerbo omnia ſpirituum ope fieri et agi docebat, quem hanc ob rem IO. CONR. BARCHVSEN [u]) et GOTTLIEB STOLLE [x]) ad Pneumaticos medicos pertinere putabant. Sed maiori iure GEORGIVS ERNESTVS STAHLIVS, qui eandem fere, quam ATHENAEVS de autocratia animae fouebat ſententiam, eorum numero eſt inſerendus. Doctrinam de febribus Pneumatici medici amplificabant, ac ARCHIGENES non primus, ſed princeps tamen ante GALENVM eſt medicus, qui corporis humani affectus in ſyſtema quoddam redegit [y]), uiriumque naturalium ſcientificam diuiſionem primus, leuiter quidem, attigit, quam deinde GALENVS magis amplificauit [z]). Semiotica ATHENAEVS cum therapia coniunxit [a]). In deſcribendis ac curandis morbis ad opiniones de morborum natura ab iis prolata non ſemper reſpexiſſe uidentur. Inſaniam u. c. ſine febre,

u) Hiſt. medicinae. Amſtel. 1710. pag. 271.

x) *Anleitung zur Hiſtorie der mediciniſchen Gelahrheit. Jen.* 1731. pag. 295.

y) *Galen.* Lib. III. de loc. aff. cap. I. P. VII. pag. 424.

z) *Galen.* de Plenitud. cap. IV. P. VII. pag. 328.

a) *Galen.* Introduct. cap. VII. P. II. pag. 365.

bre, eſſe affectum et a multo ſanguine putrefacto, nonnunquam quoque, ut in ebriis fit, puro exiſtente, quoad magnitudinem tantum peccante, ad cerebrum delato, nonnunquam ipſi flaua bile admixta, ortum ducere tradiderunt [b]). Vaporibus calidis et acribus ad caput delatis et ſpiritum animalem euertentibus, oculorum hebetudines, aurium ſonitus aſſiduos, auditus grauitates et, augeſcente affectione, uertigines et ſuffuſiones oriri [c]), et ſiderationem adeſſe, docebant, ſi omnes nerui ſenſum ac motum omiſerant [d]). Lethargo ac phrenitide [e]), nec non memoria uacillante [f]) affectos, remediis capiti impoſitis, curabant, quum tamen his in morbis, ea potius pectori, quo ex eorum mente, princeps animi ſedes, cor nimirum eſt, applicare debuiſſent. An cadauera humana inſecuerint, an Empiricorum ac Methodicorum more, anatomen neglexerint non liquet; artem chirurgicam, LEONIDE excepto [g]), non exercuiſſe uidentur.

§. XIV.

b) *Aet.* Tetrab. II. Serm. II. cap. VIII. Coll. Steph. pag. 248.

c) *Aet.* l. c. cap. VII. pag. 247.

d) *Aet.* l. c. cap. XXVIII. pag. 264.

e) *Aet.* l. c. cap. III. pag. 244. et *Galen.* Lib. XIII. de Method. med. cap. XXI. P. X. pag. 313.

f) *Galen.* Lib. III. de loc. aff. cap. V. P. VII. pag. 429.

g) *Aet.* et *Paul. Aeginet.* paſſim.

§. XIV.

PNEVMATICI MEDICI NON E METHODICORVM SECTA EGRESSI SVNT.

Pneumaticorum ſectam originem duxiſſe e Methodicorum ſecta DAN. CLERICVS[h]) affirmauit, quod inde probare ſtuduit, quod MAGNVS, unus e Pneumaticorum numero, libros confecit, quorum titulus eſt: *De inuentis poſt* THEMISONIS *tempora.* Ignoramus quidem, cum illi libri ſint deperditi, quae MAGNVS memoriae mandare uoluerit, ideoque minime CLERICO contradicam, qui, illum in iis de nouis Pneumaticorum inuentis uerba feciſſe, putauit, opinioni autem, quam ex his collegit, adſentiri nequeo, eos Methodicorum doctrinis eſſe addictos, quod quidam ex iis de inuentis poſt auctoris ſectae Methodicorum tempora ſcripſerit. Si enim MAGNVS dogmata ſectae, cui deditus erat, hoc in libro enarrauit, titulus, quem libro ſuo dedit, illi optime conuenit, quum nouiſſima, quae poſt ſectam Methodicorum conditam ideoque poſt THEMISONIS tem-

h) Hiſt. de la Medecine. Amſt. 1723. P. II. Lib. IV. Sect. II. cap. III. pag. 506. *Il reſte encore à examiner, ſi les Pneumatiques avoient auſſi quelque choſe de commun avec les Methodiques. Il ſemble que le titre du livre du Magnus, que l'on a rapporté, inſinue quelque choſe d'approchant. Car enfin ce Medecin ayant traité exprés* des choſes qui avoient été trouvées aprés Themiſon, *il y a de l'apparence, que c'étoit pour parler des innovations des Pneumatiques, de nombre des-quels il étoit et que ces innovations devoient avoir quelque rapport avec le ſyſtéme des Methodiques que Themiſon avoit établi.*

tempora floruit, ſecta Pneumaticorum fuerit. Porro, Logicam ſcientiam, CLERICVS inquit [i]), contemſiſſe Pneumaticos medicos et hac in re Methodicos eſſe imitatos, et AGATHINVM eos, qui omnia per definitiones docere ſtudebant, uituperaſſe. Sed, etſi GALENVM teſtem citat, non poſſum tamen non a tanto uiro diſſentire, qui mihi hunc GALENI locum [k]) perperam uel intellexiſſe uel interpretatum eſſe uidetur. AGATHINVS enim minime definitiones in arte ſpreuit atque contemſit, ipſe teſte GALENO [l]) nomina propriis definitionibus interpretatus, ſed eos tantum, qui omnia definitionibus docere ſtudebant, merito uituperabat. Peccarunt potius Pneumatici medi-

i) Hiſtoire de la Medecine l. c. pag. 507. *Galien qui le* (Agathinus) *refute comme les autres Pneumatiques, au ſujet de ce qu'il diſoit, que les pouls eſt un mouvement du coeur et des arteres, remarque dans le meme endroit, auſſi bien que dans le Chapitre précedant, qu'Agathinus n'approuvoit pas que l'on entreprît de vouloir tout enſeigner par des definitions. Cette Maxime ètoit priſe des Methodiques, qui diſoient la meme choſe etc.*

k) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. XI. P. VIII. pag. 98. *Ο τοίνυν Αγαθῖνος ἐπιτιμῶν τοῖς πάντως ὁρίζεσθαι τὸν σφυγμὸν βουλομένοις, ὅμως καὶ ἀυτὸς ἐις μακρολογίαν ὀυκ ἀναγκαίαν ἐνέπεσε κ. τ. λ.* Ex his GALENI uerbis CLERICVS ratiocinatus eſt, Pneumaticos medicos Methodicos eſſe imitatos. *On voit*, inquit, *que les Pneumatiques étoient apparement tous dans le meme ſentiment, en quoi ils imitoient les Methodiques.* Hiſt. de la Medecine l. c.

l) *Galen.* Lib. IV. de diff. pulſ. cap. X. pag. 97. *Ὁ γοῦν Αγαθῖνος οὐ σμικρὸν ἔμπροσθεν ἐμνημόνευσε, καίτοι τοῖς δι᾽ ὅρων ἐπιχειροῦσιν ἅπαντα διδάσκειν ἐπιτιμῶν, ὅμως καὶ ἀυτὸς ἐν ἔγραψεν ὅλον βιβλίον τὸ πρῶτον, περὶ σφυγμῶν, ἐξηγούμενος ἕκαστον τῶν, ἐν τοῖς σφυγμοῖς ὀνομάτων, ἅμα τοῖς ὀικείοις ὅροις τῶν πραγμάτων.*

medici, quod ſubtiliſſimis diſtinctionibus et definitionibus, uti ſaepe iam demonſtraui, uſi ſunt, qualis philoſophorum, quorum doctrinis erant imbuti, mos fuit. Miror uero CLERICVM tam infirmis rationibus uſum, omneſque, qui de hac re uerba fecerunt, alium CAEL. AVRELIANI locum praetermiſiſſe, qui unicus mihi eſſe uidetur, quo, Pneumaticos medicos Methodicorum ſectae fuiſſe deditos, poſſet probari. *Sed*, inquit CAELIVS, *neque alius quisquam hanc paſſionem* (catalepſin) *cognouit usque ad Methodicorum tempora. Nam ex noſtris primus* MAGNVS *eius argumenta conſtituit, atque mox* AGATHINVS, *dehinc* ARCHIGENES, *qui plurimum paſſionem a ceteris diſcernendo ſeparauit* [m]). Verba autem: *ex noſtris*, ut ego quidem puto, non de Methodicis, uti AMMANNVS [n]) uult, ſunt intelligenda, ſed de eo, quod pneumatici medici inter quos MAGNVS, AGATHINVS ac ARCHIGENES fuerunt SORANI qui circa TRAIANI Imperatoris tempora uixit, cuius interpres CAEL. AVRELIANVS fuit, fuerunt coaeui; niſi ille MAGNVS, de quo hic ſermo eſt, alius fuit, quam pneumaticus medicus, de quo ſupra mentionem fecimus [o]). Ille enim poſt AGATHINVM et ARCHIGENEM, circa GALENI tempora uixit, quam ob rem non primus, ante

m) *Cael. Aurel.* Lib. II. Acut. morb. cap. X. pag. 96.

n) *Cael. Aurelian.* pag. 96. not.

o) Sect. I. §. VII.

te illos uiros, qui hunc morbum deſcripſerunt, fuiſſet nominandus. Omnino mihi non liquet, in quibus rebus Pneumaticis medicis cum Methodicis conuenerit, qui, et locum affectum et morborum cauſam, et aetatem et regionem, et tempeſtatem, uim et naturam aegrotorum negligentes et alta naturae contemplatione haud occupati, in communitatibus tantum, quas ſtatuebant, acquieuerunt. GALENVS nulli ſectae amicus, quum Empiricos, Methodicosque inprimis, quos ἀμεθόδους uocat, ualde ſemper increpet, Pneumaticos medicos nunquam non maximis extollit laudibus, quod ſane omiſiſſet, ſi Methodicis addicti fuiſſent, et, quum ſaepe philoſophorum ſectae, cui dediti erant, mentionem fecit, quoque ſi cuicunque medicorum ſectae addicti fuiſſent, non tam alto preſſiſſet ſilentio: Quid! quod ARCHIGENES ASCLEPIADEM ipſum reprehendit atque eum refutat p).

SECTIO

p) *Galen.* Lib. II. de loc. aff. cap. VIII. P. VII. pag. 408.

SECTIO III.

DE ALIIS QVIBVSDAM MEDICIS, QVOS QVIDAM PNEVMATICIS MEDICIS ADNVMERARVNT.

§. I.

ARETAEVS.

Vnicus ſcriptor, cuius in libris doctrinae ſectam Pneumaticorum redolentes inueniuntur, eſt ARETAEVS. DAN. CLERICVS primus illas detexit ac in *Hiſtoria Medicinae* [a]) ab eo conſcripta memoriae tradidit, ad cuius partes deinde IO. WIGAN [b]) IO. CONR. BARCHVSEN [c]), IO. HENR. SCHVLZE [d]), ALB. DE HALLER [e]) aliique acceſſerunt. Nec de uita ARETAEI ſatis tenebris tecta, nec de tempore, quo uixit, ualde incerto, nec de ſcriptis eius eorumque editoribus hic ſermonem inſtituam, alii enim hanc rem tractarunt: mei tantum eſt, an pneumaticus fuerit medicus ARETAEVS inquirere

a) Hiſtoire de la Medicine. P. II. liv. IV. Sect. II. cap. III. pag. 508.
b) De Aretaei Secta ed. Aret. Oxon. MDCCXXIII. pag. XVIII.
c) Hiſtoria Medicinae. Amſtel. MDCCX. pag. 269.
d) Compendium hiſtoriae Med. Hal. 1744. pag. 332.
e) Bibl. Medicin. Pract. P. I. pag. 192.

rere et argumenta, quibus adductus DAN. CLERICVS eum numero illorum adpoſuit, penſitare.

Princeps doctrinarum, quas Pneumatici ſtatuebant medici, de ſpiritu illo Stoicorum omnia penetrante ac gubernante, quo recte conſtituto, ſanitas, quo offenſo, morbi procreantur, fuit, quam autem in ſcriptis ARETAEI inuenire non potui. CLERICVS multos quidem locos adfert, in quibus uox πνεῦμα occurrit, ſed quod pace tanti uiri dixerim, a mente autoris noſtri alienum ſenſum huic uoci tritribuiſſe uidetur. Duas ARETAEVS[f]) ſtatuit anginae ſpecies, quarum aliam inſtrumentorum reſpirationi inſeruientium phlegmonen, aliam ſolius ſpiritus in ſe ipſo cauſam habentis affectum eſſe, docet. Nemo autem non hanc ARETAEI de angina tractationem attentus ac animo non praeoccupato perlegens, ARETAEVM hic aërem teterrimis exhalationibus corruptum intellexiſſe et inter cauſas anginae poſuiſſe, reperiet; quam ſententiam PETRVS PETITVS[g]) quoque fouet. *Id ſolum*, inquit, ARETAEVS *uult, non ſemper anginam ſequi inflammationes partium, quae in faucibus continentur, aut ipſarum faucium, ſed interdum aërem teterrimis exhalationibus*

f) Lib. I. de Cauſ. et Sign. Morbor. acut. cap. VII. ed. WIGANI. pag. 6. Δύο δὲ τὰ εἴδεα. ἡ γὰρ τῶν ὀργάνων τῶν τῆς ἀναπνοῆς ἐστι φλεγμονή, ἡ μοῦνον τοῦ πνεύματος πάθος, ἐφ' ὠϋτέου τὴν αἰτίην ἴσχοντος.

g) *Petr. Petiti* Comment. et animad. in VIII. Aretaei Cappad. libros. ed. HERM. BOERHAAVE L.B. 1725. p. 145.

bus corruptum, cum intra fauces trahitur, anginam oriri citra ullam corporis inflammationem, licet aliam prauam diatheſin inflammationi analogam induci neceſſe ſit: alioqui Angina non fieret, neque reſpirationi incommodaret. CLERICVS quidem ipſe de hoc loco dubitaſſe uidetur h), eamque ob cauſam alios complures ad opinionem ſuam probandam collegit; u. c. locum quo ARETAEVS dicit i): Ileum ſpiritu frigido et lento in inteſtinis collecto, nec infra nec ſupra facile penetrante oriri. Πνεῦμα autem hic flatum ſignificare ut PETR. PETITVS quoque interpretatus eſt, e uerborum nexu facile apparet, quem GALENVS quoque doloris, qui in Ileo ſentitur, cauſam eſſe docet k), et CORN. CELSVS l) *in hoc morbo nec aluum nec ſpiritum infra transmitti*, affirmat. In lienis ſcirrho, uti ARETAEVS porro dicit, impleri uentrem ſpiritu craſſo, caliginoſo, humido apparente, etſi non ſit m); in tympanitide ſpiritum in cauſa

h) Hiſt. de la Medec. l. c. pag. 509. *On pourroit inferer des ces paſſages, que ce qu' Arétée appelle n'eſt autre choſe, que la matiere de la reſpiration; et il ſemble le confirmer lorſqu'il dit ailleurs, que la cauſe de l'Aſthme eſt la froideur et l'humidité de l'eſprit. Mais ce n'eſt pas en ces cas ſeuls que l'eſprit a part aux maladies. etc.*

i) *Aretae.* Lib. II. de Cauſ. et Sign. Acut. Morb cap. VI. pag. 21. Εγγίνεται δὲ καὶ πνεῦμα ψυχρὸν, ἀργὸν, οὔτε κάτω περῆσαι ῥηΐδιον, οὔτε ἄνω ἀνελθέμεναι.

k) *Galen.* Lib. VI. de loc. aff. cap. II. P. VII. pag. 409.

l) *Cor. Celſ.* Lib. IV. cap. XIII. ed. Leonard. Targae. L. B 1785. pag. 127.

m) Lib. I. de Sign. et Cauſ. Morb. diutur. cap. XIV. ed. WIGANI. pag. 49.

ſa eſſe, locum ad corporis conuerſionem non mutantem ac ad palmae manus percuſſum ſonum edentem; hoc ſpiritu in nebulam, et aquam uerſo, e tympanitide hydropem ἀνὰ σάρκα oriri [n]); Herbas papaueris integras uiridesque ſpiritum aridum tenuemque proferre ac madefacere [o]); ſpiritum nonnunquam in latere concluſum ſitim et dolorem uehementem mollemque caliditatem excitare et id uitium ab hominibus ignaris pleuritidem nominari, huic malo aquam frigidam remedio eſſe, ſiti enim extincta, ſpiritum bilemque per inferiora ſubduci, et dolorem caliditatemque exhalari [p]), de qua pleuritidis ſpecie AETIVS quoque mentionem facit [q]). Omnes autem hi ARETAEI loci aërem tantum non autem ſpiritum ſecundum Pneumaticorum medicorum mentem indicare mihi uidentur. Aliae autem in ſcriptis illius occurrunt doctrinae, e quibus a Pneumaticorum ſententiis non plane fuiſſe alienum patere uidetur. Statuebat nempe, ſecundum horum medicorum mentem, quoque ſtatum illum calidum et frigidum, humidum et ſiccum. Cauſa enim uertiginis, ex illius mente, eſt ſtatus frigidus et humidus [r]), epilepſia

n) Lib. II. de Sign. et Cauſ. Morb. diutur. cap. I. pag. 37.
o) Lib. I. de Morb. acut. Curat. cap. I. pag. 82.
p) Lib. I. de Morb. acut. Curat. cap. X. pag. 101.
q) *Aet.* Tetrab. II. Serm. IV. cap. LXVIII. Coll. Steph. pag. 434.
r) Lib. I. de Cauſ. et Sign. diutur. morb. cap. III. pag. 33.

lepſia a frigiditate humiditati iuncta producitur [s]); frigiditas ſpiritus cum humiditate aſthma gignit [t]), ſtatus frigidus humido iunctus diabeten producit [u]) caet. mortis natura ſtatus eſt frigidus ſicco iunctus [x]). Ex his quidem ſententiis, quas Pneumatici medici quoque fouebant, unice tantum probari, illum ab eorum partibus ſtetiſſe, poſſe mihi uidetur. CLERICVS quoque, qui, quod ſupra demonſtrauimus, ſectam Pneumaticam Methodicae eſſe filiam, affirmat, ARETAEVM eſſe Pneumaticum medicum, inde ſtudet probare, quod, eadem mente, qua CAEL. AVRELIANVS, libros ſuos de morbis acutis et diuturnis inſcripſit; et quod diaetam, quam quoque Methodici medici in curandis morbis, adhibebant, commendauit [y]). Ob hanc autem cauſam, quum Pneumaticis medicis cum Methodicis nulla fuerit ſocietas, ut iam oſtendimus, ARETAEVS ſectae Pneumaticorum adnumerari non poteſt.

Sin autem, quod quidem firmis ac indubitatis argumentis probari non poteſt, ille Pneumaticorum medicorum doctrinis fauit, huic ſectae non eſt dedecori habuiſſe inter ſuos uirum, qui omni iure inter optimos antiquitatis medicos eſt recenſendus.

s) l. c. cap. IV. pag. 34.

t) l. c. cap. XI. pag. 46.

u) l. c. Lib. II. cap. II. pag. 59.

x) Lib. I. de cauſ. et ſign. acut. morb. cap. VI. pag. 5. Ἀιτίη γὰρ ψύξις καὶ ξηρότης γήραος, καὶ θανάτου ἡ φύσις.

y) *Dan. Clerc.* l. c. pag. 510.

§. II.

LIBER ΠΕΡΙ ΦΥΣΩΝ HIPPOCRATI ADSCRIPTVS.

Inter ſcripta HIPPOCRATI tributa, extat quoque liber περὶ φυσῶν, quem DAN. CLERICVS ſecundum Pneumaticorum medicorum mentem eſſe compoſitum, exiſtimat z). De autore huius libri, an HIPPOCRATES, an alius fuerit medicus, inquirere mei nunc non eſt, mihi tantum ſufficit, doctrinas hoc in libro contentas exponere, ut lectores, quantum a Pneumaticorum ſententiis diſcedant, perſpicere poſſint.

Autor huius libri, hominum, inquit, et reliquorum animantium corpora triplici nutriri alimento, cibo nimirum, potu et ſpiritu (πνεῦμα). Spiritus, qui corpori inſunt, *flatus* (φῦσαι) nominantur, illi autem, qui extra corpus ſunt aëris (ἀὴρ) nomen tenent. Eſt quidem ſpiritus ſecunda ualetudine utentibus uitae, et aduerſa, morborum cauſa et tam neceſſarius ad uitam ſuſtentandam, ut hoc ſpiritu deſtitutum nullum animantium uiuere poſſit: uia enim, qua ſpiritus in corpus ingredi ſolet coarctata ac impedita, homo moritur. Quum igitur omnibus animantibus maxima cum aëre ſeu ſpiritu intercedit communio, morbi uix aliunde, quam ab illo oriri poſſe

z) *Du-Clerc.* l. c. pag. 506. *Si le livre* de Flatibus *etoit effectivement d'Hippocrate, on pourroit dire, que cet ancien medecin avoit donné, en quelque maniere, dans le ſens des Pneumatiques.*

poſſe putat, quippe qui copioſior, craſſior, aut inquinamentis contaminatus eſſe poſſit. Cibis ac potui, ſpiritus copia quoque ineſt, iis igitur maiori mole corpori ingeſtis, maior quoque ſpiritus pars illud ingreditur, eique morbos adfert. E febrium, apoplexiae, morbi ſacri exemplis demonſtrat, a quibus cauſis omnes corporis humani affectus ſint deducendi. Neminem his expoſitis fugere poteſt, auctorem huius libri, ceteroquin incertum, ingenioſas autem doctrinas ac altas cogitationes in illo proferentem, de aëre nos ambiente et, uti ueteres et philoſophi et medici putabant, in arteriis et corde incluſo, ſermonem inſtituiſſe et minime ſpiritum illum omnia penetrantem ac gubernantem, quem Pneumatici medici, ſecundum Stoicorum ſententiam animam mundi putabant, intellexiſſe. Illum aërem, quem hodierni phyſici *fixum* nominare ſolent, *φῦσαν* hic appellaſſe mihi uidetur. EROTIANVS[a]) *φύσας τὰ ἐν ἡμῖν πνεῦματα* uocat; et ALEXANDER TRALLIANVS, illum aërem in corpore retentum, aurium dolorum cauſam eſſe exiſtimat[b]).

§. III.

PHILARETVS.

PHILARETVM, medicum, qui poſt GALENI, cuius in libro ſuo meminit[c]), tempora uixit. IO. CONR.

a) *Erotian.* Gloſſar. in Hipp. ed. I. FR. FRANZE. Lipſ. 1780. 8. pag. 378.

b) Lib. III. cap. I. pag. 167. *Ὡς πνεῦμα φυσῶδες καὶ παχὺ μὴ εὐρίσκον διέξοδον, ὑπολαμβάνειν δεῖ μᾶλλον τὸ τῆς ὀδύνης αἴτιον.*

c) Cap. IX. Coll. Steph. p. 848.

CONR. BORCHVSEN magis Pneumeticis putat eſſe adnumerandum, quam ERASISTRATI aſſeclis [d]). Extat adhuc libellus eius *de pulſibus* latina interpretatione ALBANI TORINI ab HENRICO STEPHANO in *Collectione ſua medicae artis principum poſt* GALENVM et alibi editus [e]). Nullum autem ueſtigium, PHILARETVM Pneumaticum fuiſſe medicum hoc in libro inuenire mihi contigit. Pulſum enim cordis et arteriarum motum eſſe per diaſtolen et ſyſtolen, eumque ad inſitum calorem refrigerandum et excrementa fuliginoſa expellenda neceſſarium eſſe [f]), in diaſtole, arteria nimirum ſublata, ſubſtantiam quandam attrahi, in ſyſtole uero, arteria compreſſa, excrementum illud fuliginoſum excerni ac eliminari docuit. Arteriam eſſe aëris ac ſpiritus naturalis receptaculum, cum pauculo ſanguine mixti, uenam autem ſanguinem continere cum exiguo naturali ſpiritu commixtum [g]). Nulli itaque Pneumaticorum medicorum, uti ex his prolatis perſpici licet, in definiendis ac diuidendis pulſibus PHILARETVS adſentitur, qui potius GALENVM ſequi uidetur.

CON-

d) Hiſt. med. pag. 271.

e) Collect. Steph. pag. 843.

f) Cap. I. Coll. Steph. pag. 844.

g) Cap. III. pag. 845.

CONSPECTVS OPERIS.

Praefamen - - - - - pag. 5

SECTIO I.

De origine et fatis ſectae Pneumaticorum hiſtoria litteraria.

§. I. *Conditor ſectae Athenaeus.* - - 15
§. II. *Theodorus atque Agathinus, Athenaei diſcipuli* - - - - - 20
§. III. *Archigenes et Herodotus Agathini diſcipuli.* - - - - - 24
§. IV. *Magnus et Leonides.* - - 30
§. V. *Temporis ſpatium, quo Pneumatici medici floruerunt.* - - - 33

SECTIO II.

Doctrinae ſectae medicorum Pneumaticorum.

§. I. *Vocis πνεῦμα ſignificatio.* - - 37
§. II. *Phyſiologia.* - - - - 42
§. III. *Elementa.* - - - - 43
§. IV. *Conceptio.* - - - - 45
§. V. *Animus.* - - - - 47
§. VI. *Reſpiratio.* - - - - 50

§. VII.

§. VII. *Pathologia.* - - - - 51
§. VIII. *Natura morborum.* - - 52
§. IX. *Cauſa morborum.* - - - 54
§. X. *Morborum tempora.* - - - 55
§. XI. *Pulſus.* - - - - 56
§. XII. *Dolor.* - - - - - 63
§. XIII. *Febris.* - - - - 66
§. XIV. *Medicamenta.* - - - 69
§. XV. *Quid Pneumatici medici ad medicinae incrementum contulerint.* - - 71
§. XVI. *Pneumatici medici non e methodicorum ſecta egreſſi ſunt.* - - 75

SECTIO III.

De aliis quibusdam medicis, quos quidam Pneumaticis medici adnumerarunt.

§. I. *Aretaeus.* - - - - 79
§. II. *Liber* περὶ φυσῶν *Hippocrati adſcriptus.* 84
§. III. *Philaretus.* - - - - 85